

tur in natura assumpta, & verè agit actiones naturæ assumptæ. Natura ergo assumpta erat ratio agendi, & patiendi actiones & passiones, secundum naturam illam. sed ipsum diuinum suppositum, vel Deus erat agens, & patiens, huiusmodi actiones, & passiones. maior est ergo vnio naturæ assumptæ ad Deum, quam vnio ipsius Dei ad quamcunque aliam creaturam. Si ergo consideramus quidditatem ipsius assumptionis, quæ in hoc videtur consistere, quòd creaturæ, vel ipsi supposito creato non competat agere, cum agere magis competat rationali creaturæ, quæ agit liberè, & est dominatorum actuum, patet ex parte quidditatis assumptionis ipsam naturam irrationalè esse assumptibilem, considerando Dei potentiam absolutam, licet de congruo possit dici natura talis inassumptibilis. Nam non fuisset congruum Deum assumere naturam aliquam, nisi satisfaceret pro peccato illius naturæ, & vt reconciliaret Deo illam naturam, vel supposita illius naturæ, & quia creatura irrationalis peccare non potest, ideo natura eius, quantum est de congruo, assumi non potest.

In quo consistat quidditas assumptionis naturæ creaturæ.

Secunda via ad hoc idem sumitur ex parte Dei assumptis. Deus enim ideo habet omne posse, quia habet omne esse. Nam omne, quod agit, sic agit, dum est in actu, & vt habet esse, & quia in esse diuino includitur omne esse, ideo includitur omne posse, solum illud non potest, quod repugnat ipsi esse, & quod implicat contradictionem, quæ simul cum esse includit non esse. Si ergo Deus assumeret naturam creatam irrationalem nulla contradictio implicaretur ibi, quia si hoc implicaret contradictionem, corpus Christi separatum ab anima rationali, non remansisset vnium ipsi personæ Verbi.

Implicatio contradictionis nisquid sit.

Et si dicatur, quòd in morte Christi corpus separatum ab anima rationali remansit vnium personæ Verbi, sed hoc erat per respectum ad animam rationalem, cui erat iterum vnibile per resurrectionem. Dici debet, quòd hoc argumentum concludit quantum ad congruitatem, non quantum ad necessitatem, quia nullus ita deciperetur quòd assereret Deum,

In morte Christi corpus quòd reuera fuit separatum ab anima, remansit vnium personæ Verbi.

A quantum est de potentia absoluta, non potuisse illud corpus sic separatum ab anima rationali semper præseruare, & esse ei semper sic vnium.

Tertia via ad hoc idem sumitur ex parte ipsius creaturæ. Nam quòd aliqua natura creata assumatur à Deo in vnitatem personæ, hoc non est ex parte potentiæ actiue ipsius creaturæ, vel ipsius naturæ assumptæ, quia in hoc nihil egit natura assumpta; nec ex parte potentiæ passiue naturalis, quia *nulla est in natura potentia passiuæ, cui* (vt Commentator ait, & vt communiter ponitur) *non respondeat in natura potentia actiua naturalis*, quo posito, posset naturaliter fieri assumptio naturæ creatæ ad suppositum diuinum, quod est inconueniens. Restat ergo, quòd in natura creata non possit esse talis potentia passiuæ, nisi potentia merè obiectiue, secundum quam Deus facit de creatura, quod placet sibi. De qua potentia loquitur Augustinus in Epist. ad Volusianum, quòd *in factis mirabilibus ratio facti est sola potentia facientis*.

Auerr.

In quilibet naturæ respectu Dei dat potentia obiectiue, & obiectiue.

D. P. Aug.

Ad assumptionem ergo cuiuslibet naturæ creatæ in vnitatem diuini suppositi, vel personæ, quod est mirabilius inter cetera mirabilia, non adscribimus ex parte creaturæ, nisi meram potentiam obiectiue. Et dicemus ex parte Dei, quòd tota ratio facti est potentia facientis, quia quantum ad obedientiam sic est subiecta Deo natura irrationalis, sicut rationalis. Nam non solum creatura irrationalis cuiusmodi est quodlibet animal, sed etiam creatura inanimata, & insensibilis, quæ est secundum quod huiusmodi longè inferior, quam quodlibet animal, & quælibet planta est assumptibilis in vnitatem personæ diuine, cum corpus Christi mortuum remanserit sic vnium personæ Verbi in illo triduo, quòd corpus non solum erat insensibile, sed etiam inanimatum.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quòd nihil est impossibile apud Deum, nisi quòd implicat contradictionem, quam contradictionem non includit assumptio nature irrationalis, cum etiam corpus insensibile, & non viuens, quòd secundum quod huiusmodi

Esse impossibile dicitur, vt quia contradictionem implicat, vel quia fultas, si virtus dei

medi

modi erat infernus, quàm planta, cum planta viuat vita vegetabili, & nutriatur, & augeatur, quod non competebat in illo trido illi corpori, & tamen illud corpus erat vnitum Verbo, etiam in illo triduo, in vnitatem personæ.

Ad secundum dicendum, quòd in huiusmodi assumptione in vnitatem diuini suppositi, vel personæ diuinæ, non solùm est consideranda natura creata nobilior, vel minus nobilis, sed etiam multa alia, propter quæ (vt patuit ex quæstione præcedenti) natura aliqua, sicut natura humana, iuxta illud, quod supra diximus ad Hebr. 2. *Nequaquam Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit.* De potentia ergo Dei absoluta assumptibilis fuit, tam natura Angelica, quæ est supra naturam humanam, quàm natura irrationalis, quæ est naturaliter infra naturam humanam, sed de congruo, vt potest patere ex quæstione præcedenti, etiam ipsa natura Angelica non fuit sic assumptibilis, vt natura humana, & multò magis natura irrationalis, loquendo de congruo non fuit sic assumptibilis, vt natura rationalis, & humana.

Ad tertium dicendum, quòd verba Augustini possunt exponi quantum est de congruo, non de Dei potentia absoluta, vel de potentia obiectiue, secundum quam fit de qualibet creatura, quod Deo placet.

Ad quartum dicendum, quòd actus respondet potentia, si loquamur de potentia, à qua egreditur, propter quod actus fruitionis respondet potentia suæ, idest voluntati, à qua egreditur, vel intellectui, quia sine visione diuina, quæ pertinet ad intellectum, non potest esse fruitio. Egreditur ergo actus fruitionis ab huiusmodi potentia non naturaliter, sed supernaturaliter, & vt vniatur per gratiam: sed actus vnionis, de quo hic agitur, vt actu vniatur natura creata Deo, non innitur nisi diuinæ potentia, quia potestate totius Trinitatis fit huiusmodi assumptio; si autem concurrat ad hoc potentia creaturæ, illa potentia non erit nisi obediens, secundum quam Deus facit de creatura; quod placet sibi. Et quia vtraque natura est assumptibilis, & si implicaret contradictionem naturam ali-

quam esse actu vnitam personæ Verbi, quæ non possit frui Verbo, numquam caro separata ab anima remansisset sic vnita, nec etiam caro coniuncta animæ posset esse sic vnita, cum actus fruitionis non possit competere carni, nec etiam alicui potentia, quæ sit perfectio carnis, vel actus carnis, vel etiam sit propriè organicus. Si ergo potest esse actu vnita personæ Verbi natura carnis, quæ non est apta frui Verbo ex parte fruitionis, non potest impugnari assumptio naturæ irrationalis, absolute loquendo. Potest tamen impugnari de congruo, quia non esset congruum talem naturam assumere.

QVAESTIO II. PRINCIP.



OSTEA quæritur in secunda parte huius distinctionis de secundo principali; videlicet de ordine assumptionis. Cuius quærentur quatuor. Primò de ordine partium ad inuicem. Vtrum Dei Filius assumpserit vnã partem naturæ humanæ, mediante alia, videlicet. Vtrum assumpserit carnem mediante anima. Secundò de ordine partium ad totum. Vtrum assumpserit totum mediantibus partibus, & è conuersò. Tertio de ordine totius ad alia. Vtrum assumpserit totam naturam humanam, mediante gratia, vel mediante quocunque alio. Quarto de ordine temporis. Vtrum tam totam naturam humanam, quàm etiam partes eius assumpserit simul.

ARTIC. I.

Vtrum Dei Filius assumpserit carnem mediante anima. Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. 3. p. q. 6. art. 1. Caiet. Medina, Cabr. Nazar. ibidem. Valent. tom. 4. q. 6. art. 1. puncto 1. & 2. Bonau. 3. d. 2. art. 3. q. 1. Suar. tom. 1. disput. 12. sect. 4. Lychett. 3. d. 2. q. 2. Scot. 3. d. 3. q. 2. Richar. d. 2. q. 3. Piel.

Capacitas doni assumptibilis, dupliciter, vel de possibili, vel de congruo.

Que naturaliter est nobilior, & superior, quàm natura humana, non sic est assumptibilis.

Vel de congruo, vel de potentia absoluta Dei.

Potentia duplex vel effectiua, seu productiua vel subiectiua, seu obediens.

Quam supra nuncupauit potentiam obiectiue, seu obediens, hic explicite vocat obediens talem.

Piel. d. 2. q. vnica. Dur. 3. d. 2. q. 3. Alenf. 3. p. q. 1. mem. 1. Aestius 3. d. 2. §. 6. Argentina d. 2. q. 1. art. 3. Rada. tom. 3. cont. 4. art. 4. Valquez 3. p. tom. 1. disp. 37. per totum. Ioleph. Rzgufa disp. 66.



D primum sic proceditur . Videtur , quòd Dei Filius nõ assumpserit carnem mediante anima . Quia remoto medio , quo aliqua coniunguntur , extrema separantur ab inuicem , vt si corda aliquorum coniunguntur per amorem , remoto amore , remanent disiuncta , & separata . ergo &c.

Præterea . Si aliqua extrema coniunguntur per aliquod medium , illa magis coniunguntur medio , quàm sibi ipsis : ergo si Deus coniunctus fuit carni mediante anima : tàm caro , quàm Deitas fuerunt magis vnita animæ , quàm sibi ipsis , quod patet esse falsum , quia separata carne ab anima , non fuit separata à diuinitate .

Præterea . Deus in qualibet creatura habet esse per præsentiam , per potentiam , & per essentiam immediatè : etiam anima sancta fruitur Deo immediatè : si ergo vnio personalis est maior , quàm aliæ vniones , & aliæ sunt immediatæ , multo magis ista .

Præterea . Videtur , quòd Dei Filius magis sit vnitus animæ , mediante carne , quàm è conuerso , iuxta illud Ioann. 1. *Verbum caro factum est* , idest carni iunctum est : si autem est vnitum animæ , hoc est mediante carne . ergo &c.

IN CONTRARIUM est , quod habetur in littera : *Assumpsit igitur Dei Filius carnem , & animam , sed carnem mediante anima .*

Præterea in eadem littera dicitur : *Tante enim subtilitatis , atque simplicitatis est diuina Essentia , vt corpori de limo terra formato vniri non congruerit , nisi mediante essentia rationali , idest anima rationali .*

R E S O L V T I O .

Loquendo de potentia absoluta Dei , potuit Deus assumere carnem non mediante

anima , & sine anima ; de potentia tamen ordinata , qua omnia facit , secundum quod congruit ordini sapientiæ suæ non fuit congruum quòd carnem assumeret , nisi mediante anima rationali .

RESPONDEO dicendum , quòd possumus quadrupliciter distinguere de medio , vt sit vna distinctio communiter data ab omnibus , quæ est , medium congruentiæ , & medium necessitatis , sicut ponitur communiter exemplum de pulchritudine mulieris in matrimonium assumendæ , quia congruum est , mulierem esse pulchram , vt assumatur in matrimonium , & potissimè vt assumatur in matrimonium magni Domini , vt in matrimonium Regis , tamen si illa pulchritudo separaretur à muliere , & efficeretur turpis , non propter hoc separabitur matrimonium .

Secunda distinctio potest fieri de medio , & est medium secundum actum , vt puta diaphanum , quod est medium in actu videndi , quia non possumus actu videre sine diaphano ; & est medium secundum aptitudinem , vt puta , raritas in aere est medium secundum aptitudinem , vt fiat ignis . Nam si ipse aer non est actu ignis , raritas tamen in eo facit aptitudinem , vt sit ignis .

Tertia distinctio de medio fieri potest , quia medium , vel potest esse secundum Dei potentiam absolutam , vel secundum Dei potentiam ordinatam .

Quarta distinctio de medio fieri potest , quia medium , vel accipitur secundum necessitatem simpliciter , vel secundum necessitatem conditionatam . Potest etiam quinta distinctio fieri de medio , quia aliquod est medium effectiuum , & aliquod formale . Nam aliter amor vnit concordet , quia hoc est formaliter : & aliter bonus persuasor facit aliquos concordet , quia hoc est effectiuè . cum ergo queritur . Vtrū Dei Filius assumpserit carnem mediante anima . Si loquamur de medio necessitatis : simpliciter , & absolutè dici debet , quòd non , quia in morte remanent caro coniuncta Verbo , separata anima à carne . Sed si loquamur de medio congruitatis , debet dici quòd sic . Congruum enim fuit , vt caro esset animata anima ratio-

Medium duplex est , aliud necessitatis , aliud congruentiæ . Congruum est mulieri quæ in matrimonio ducitur pulchram esse

Medium aliud est secundum actum , aliud secundum aptitudinem aliud secundum potentiam Dei absolutam , aliud secundum ordinariam .

Aliud accipitur secundum necessitatem simpliciter , aliud secundum necessitatem conditionatam aliud effectiuum : aliud formale .

rationali, vt assumeretur à Verbo; quoniam irrationalis creatura non est congruè assumptibilis, vt supra dicebatur, & multò magis non est congruè assumptibilis creatura insensibilis.

Propter quod patet, quomodo distinctio prima de medio facit ad solutionem quæstionis propositæ.

Facit etiam ad solutionem dictæ quæstionis distinctio secunda. Nam si quæretur: vtrum anima separata fuerit medium vnionis carnis ad verbum, ita quòd mediante anima separata Verbum fuerit vnitum carni, respondebimus per secundam distinctionem, quia huiusmodi medium, vel sumitur secundum actum, vel secundum aptitudinem; si sumatur secundum actum non erit anima tale medium, cum actu est separata. Si verò loquamur de medio secundum aptitudinem, saltem secundum diuinam ordinationem, vt citò reconiungeretur carni, & fieret resurrectio Christi, possumus dicere, quòd propter istam aptitudinem, anima rationalis erat medium, vt Verbum remaneret vnitum carni. Erat enim huiusmodi medium saltem congruitatis, quia non fuisset congruum, quòd Verbum remansisset vnitum carni separatum ab anima rationali, nisi illa caro iterum esset vnibilis tali animæ.

Tertia distinctio etiam facit ad solutionem quæstionis propositæ, quia si quæretur, Vtrum Dei Filius assumpsisset carnem mediante anima, vel potuerit eam assumere sine anima; aut loquimur de Dei potentia absoluta, aut de Dei potentia ordinata; si loquamur de Dei potentia absoluta, certum est, quòd potuit assumere carnem non mediante anima, & sine anima, sed prout loquimur de Dei potentia ordinata, prout natura, facit secundum quod congruit ordini sapientiæ suæ, sic non fuit congruum, quòd assumeret carnem, nisi mediante anima rationali. Qualiter autem istud medium fuerit congruum secundum actum, & secundum aptitudinem, declaratum est per iam dicta.

Facit etiam ad resolutionem quæstionis propositæ quarta distinctio de medio scilicet quòd medium potest dici necessarium secundum necessitatem, simpliciter

Aegid. super iij. Sent.

A vel secundum necessitatem conditionatam. nam omnia quæ Deus facit in sua sapientia, vel secundum ordinem suæ sapientiæ, sunt illi sapientiæ præsentia: quia Deus non cum discursu, non successiuè, sed totum simul, & principaliter videt, & cognoscit totum ordinem fiendorum. Sicut ergo omne quod est, quando est, necesse est esse, & ista necessitas non est simpliciter, sed est conditionata, sic in rebus fiendis non oportet, quòd sit necessitas simpliciter, sed ipsæ res fiendæ relatæ ad diuinam sapientiam, vel ad diuinam prouidentiam sunt necessariae, quia hoc modo omnia sunt illi præsentia eo modo, quo omne præsens est necessarium. quia (vt diximus) omne quod est, quando est, necesse est esse, quia non potest aliquid simul esse, & non esse. Patet ergo quòd Filius Dei, eo modo, quo dictum est, assumpsit carnem mediante anima: Ad quam veritatem altruendam, & probandam, possumus adducere auctoritatem D. Patris Nostri Augustini in epistola ad Volusianum, vbi ait, quòd ipsa tantum magnitudo virtutis diuinæ sibi animam rationalem, & per eandem etiam corpus humanum, totumq. omnino hominem coaptauit.

Quare omne quando est, necesse est esse.

D. P. Aug. tom. 3.

Dub. Lateralis.

Vtrum Christus assumpsit animam mediante spiritu. Conclusio est affirmatiua.

D. Tho. 3. p. q. 6. art. 2. Calet. Medina. Cabr. ibid. Valen. tom. 4. q. 6. art. 2. puncto 3. Suar. ad 3. p. disp. 17. sect. 4. Aestius in 3. d. 2. §. 6. Nazar. ad 3. p. q. 6. art. 2. contr. vnica. Ragusa disp. 65.



VLTERRIVS forte dubitabit aliquis: dato quòd Dei Filius assumpsit carnem, vel corpus, mediante anima Vtrum assumpsit animam mediante spiritu. Et videtur, quòd non. Quia impossibilis est, quòd per idem medium, aliquid vniatur superiori, & inferiori: sed per spiritum vnitur anima suo inferiori,

G idest

De absoluta potentia potuit Deus assumere carnem, non mediante anima, & sine anima.

idest suo corpori: ergo per spiritum non vnitur suo superiori, idest Deo.

Præterea, Medium debet differre ab extremis: si ergo spiritus esset medium, per quod vnitur anima Deo, differret tam ab anima, quam à Deo: sed spiritus non differt non solum ab anima rationali; sed etiam ab anima iumentorum, vel brutorum, iuxta illud Ecclesiast. 2. *Quis nouit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & spiritus iumentorum &c.* ergo ipsa anima hominum est quidam spiritus, & etiam anima iumentorum dicitur spiritus. Deus etiam dicitur spiritus, iuxta illud Ioann. 4. *Deus spiritus est.* Spiritus ergo non potest esse medium inter animam, & Deum, quia non differt, nec ab anima, nec à Deo.

IN CONTRARIUM est, quia imago Dei non reperitur in homine, nisi secundum superiorem partem animæ, quæ potest dici mens, siue spiritus. Et quia natura humana potissimum est assumptibilis à Deo, prout est in ea imago Dei. Hoc autem est quantum ad superiorem partem, quæ dicitur mens, vel spiritus: ergo Dei Filius assumpsit animam mediante mente, vel mediante spiritu.

R E S O L V T I O.

Si spiritus accipiatur pro mente, seu pro ipsa parte superiori animæ, dici potest Dei Filius assumpsisse animam mediante spiritu. Si verò de vnione animæ ad corpus physice loquamur: Anima accepta, ut forma immediatè vnitur corpori, accepta ut motor vnitur eidem mediante spiritu: quo sensu, quadruplici spiritu dicitur mouere corpus ipsum, sensitiuo, nutritiuo, localiter motiuo, & generatiuo.

RESPONDEO, quòd Augustin. 12, super Genesim tangit sex modos accipiendi spiritum. Nam vno modo dicitur spiritus illud corpus, quod habebimus post resurrectionem. Dicitur enim corpus illud spirituale, vel etiam dicitur spiritus, quia non indigebit cibis, & non indigebit alijs alimentis, sicut nõ indiget spiritus; corpus autem quod nunc habemus non dicitur spirituale, vel spiritus,

sed dicitur animale, quia est indigens alimentis. Hoc autem modo accipit spirituale, & animale Apostolus 1. Corinth. 16. assimilans corpus, quod nunc habemus, ei, quod seminatur, corpus autem, quod habebimus post resurrectionem, assimilat corpori, quod surgit ex femine, dicens: *Seminatur in infirmitate*, idest corpus quod habemus nunc, est corpus feminatum in infirmitate: *sed surget in virtute*: idest corpus, quod habebimus, tunc erit corpus virtuosum. Et subdit: *seminatur corpus animale*, idest corpus, quod habemus nunc, est corpus animale, indigens alimentis, *surget corpus spirituale*, idest corpus, quod habebimus, tunc erit quasi spiritus, vel erit corpus spirituale, non indigens alimentis.

Secundo modo potest accipi spiritus, prout est idem quod corpus subtile, & sic aer potest dici spiritus. Hoc ergo modo omnes fumositates, & vapores, quia appropinquant naturæ aeris, & quasi sunt corpus aereum, possunt etiam dici spiritus. Isto etiam modo in quolibet homine, & in quolibet animali bruto, quando viuit, dicuntur esse spiritus in corde, in hepate: & in sensibus tam hominum, quam animalium brutorum dicuntur esse quidam spiritus, quia sunt in eis quædam fumositates, quæ dicuntur spiritus ascendentes à corde ad cerebrum: & transeuntes per hepar, & ab hepate ad singula membra: sunt enim isti spiritus, & istæ fumositates quædam corpora subtilia, & rara discurrentia per corpora animalium, quibus vtitur anima ad sentiendum per organa sensuum, ad mouendum venas, vel neruos pulsátiles, per quem motum dicitur corpus viuere, quia quando viuit, est in eo pulsus, & motus. Iuuat etiam se anima per istos spiritus ad nutriendum corpus, quia cum istis spiritibus transmittitur alimentum ad singulas partes corporis. Huiusmodi autem spiritus iuuant singulas partes corporis, vt conuertant partem alimenti ad se transmissam. Istis etiam spiritibus est plenum semen animalis, per quod generatur foetus. Ideo Sapientes in corpore animalis, & specialiter animalis perfecti. (Vocamus autem animal perfectum omne

Eccles. 2.

Io. c. 4.

1. Cor.

Quo f
corpus
resurre
nem d
tur spi
tuale.Quid
spiritu
dis, &
pauis.D. P. Aug.
10m. 3.Spiritus sex
modis acci
pi potest.

omne animal, quod sibi simile generare potest) Dicimus autem talia animalia perfecta, quæ generantur ex semine, & quæ generant emittendo semen, ad differentiam animalium putrefactibilium. De quibus ait Commentator 12. Metaphyl. Quod facit semen in generatis ex semine, hoc facit putrefactio in generatis, ex putrefactione. Est enim semen animalis plenum talibus spiritibus, & ideo natura fecit illud spumofum, ut sit multorum talium spirituum contentium. Sapientes igitur dixerunt esse quadruplicem spiritum, vitalem, sensitivum, nutritivum, & generativum, & hos quatuor spiritus tanquam causas, & principijs appropriaverunt quatuor principalibus membris, quia spiritum vitalem dixerunt esse in corde, sensitivum in cerebro, nutritivum in hepate, generativum in testibus. Dicemus ergo, quod cor est fons; origo, & radix omnium istorum spirituum. Hoc autem non obstante, dicitur spiritus vitalis esse in corde, sensitivus in cerebro, & sic de alijs, ut dictum est. Nam hic vita accipitur pro motu, & spiritus vitalis potest dici spiritus motus. Dicitur ergo spiritus vitalis esse in corde, quia motum venarum, & nervorum, & etiam membrorum facit cor per seipsum, & talis motus principaliter derivatus est à motu cordis, non à motu alterius membri principaliter loquendo. Et si alia membra operantur ad huiusmodi motum, sicut diximus, quod per virtutem in musculis, & in nervis fit motus in membris animalium; referendum est hoc ad motum cordis, à quo principaliter derivatus est talis motus, & talis virtus motiva. Imaginabimur ergo, quod cor in animali se habet quasi primum mobile; sicut enim primum mobile in uniuerso semper mouetur, & ab illo motu derivatur omnis alius motus, sic cor in animali semper mouetur secundum dilatationem, & constrictionem, & ab illo motu derivatur omnis alius motus; propter quod si ad momentum, idest ad quamcunque paruulam moram stare cor, quod non moueretur in illa paruula mora, anima non posset aliquod membrum mouere; sicut si ad quamcum-

A que paruulam moram, coelum, idest primum mobile quiesceret, in illa paruula mora secundum hunc ordinem, quem videmus, loquendo de istis corruptibilibus, nihil in uniuerso moueri posset. Dicimus autem secundum hunc ordinem, quem videmus, quia Deus posset hunc ordinem immutare, & immutabit ipsum post resurrectionem, quia tunc etiam quiescente coelo, quia Sol, & Luna stabunt in habitaculis suis: poterunt moueri, & mouebuntur corpora nostra, quia non habebunt dependentiam ad coelestem motum. Quod ergo dicit Philosophus de motu coeli in principio 8. Physic. quod est vita in entibus. Nam ea, quæ mouentur dicuntur viua; ea autem, quæ moueri non possunt, dicuntur mortua, & quia entia ista, vel corpora ista inferiora non possunt moueri, nisi mediante motu coeli, dicitur ille motus esse vita in entibus: & quia à motu cordis dependent omnia alia, quæ mouentur in animali, siue sit sanguis, siue nerui, siue membra, siue quæcunque alia, ideo motus cordis potest dici vita omnium, quæ sunt in animali, iuxta illud Prouerbior. cap. 4. *Omni custodia serua cor tuum, quia ex ipso vita procedit*. Spiritus ergo vitalis dicitur esse in corde, quia à motu cordis procedit omnis motus, & omnis vita eorum, quæ sunt in animali. Spiritus autem sensitivus dicitur esse in cerebro, non quin ipse etiam spiritus, radicaliter sit in corde; sed cum talis spiritus à corde procedit ad cerebrum, ibi specificatur, & determinatur specialiter ad hunc actum, qui est sentire. Nutritivus dicitur esse in hepate, non quin iste spiritus radicaliter, & fontaliter sit in corde; sed quia, quod dictum est de cerebro respectu actus sentiendi, potest intelligi de hepate, respectu actus nutriendi. Spiritus autem generativus, dicitur esse in testibus, quia semen, cum pertransit aliquam venam, iuxta testes, ab eis accipit vim generandi, propter quod castrati nunquam generant, etiam si possent semen emittere, quia illud semen esset inefficax ad generandum. Multæ enim possunt esse causæ impediens generationem.

Post resurrectionem poterit moueri, & mouebuntur corpora nostra, etiam si coelum non cietur.

Abac. c.

Ar 8. Physic.

Cor est prima sedes fons, & radix omnium ac singulorum spirituum, qui ad distincta membra transmissi, distinctos effectus producant.

Auerr. 12. Metaph.

Sapientes quadruplicem spiritum ponunt, vitalem, sensitivum, nutritivum, & generativum, & in distinctis membris illorum se de ponunt.

Cor in animali se habet ut primum mobile.

nem . Sed vt ad propositum spectat , sufficiat quod dictum est . Tractauimus autem hunc secundum modum accipiendi spiritum , multum diffusè , quia (vt apparebit) aliquo modo anima mediante spiritu , accepto hoc modo , vnitur corpori , sicut Deus , vel Dei Filius , alio modo accipiendo spiritum , mediante spiritu assumpsit animam , de quo in quæstione nostra proposita quarebatur : ergo &c.

Spiritus accipitur pro ipsa anima.

Tertio modo potest accipi spiritus pro ipsa anima , siue sit anima brutorum , siue hominum , secundum quem modum accipiendi spiritum (vt in arguendo tangebatur) scribitur in Ecclesiast. cap. 3.

Eccles. c. 3.

Quis nouit , si spiritus filiorum Adam &c.

Quandoque etiam pro virtute imaginatiua animæ .

Quarto modo potest accipi spiritus pro ipsa virtute imaginatiua , propter quod illud verbum Apostoli 1. Corinth.

1. Corinth. c. 14.

14. Spiritus meus orat , mens autem mea sine fructu est . Exponit Glossa : *Spiritus meus orat* , idest vis illa animæ inferior , cui impressæ sunt imaginationes rerum . Accipitur ergo ibi spiritus , secundum Glossam , pro virtute animæ imaginatiua .

Pro ipsa mente .

Quinto modo potest accipi spiritus , prout est idem , quod ipsa mens hominis , vel Angeli , secundum quem modum loquitur Apostolus ad Ephes. cap.

Ad Ephes. c. 4.

4. Renouamini autem spiritu mentis vestrae , &c.

Accipitur quoque pro Deo ipso . Io. c. 10.

Sexto modo potest accipi spiritus pro ipso Deo . Ioann. cap. 10. *Spiritus enim est Deus* , vt in arguendo tangebatur . Hos autem omnes modos accipiendi spiritum innuit Augustinus super Genesim

D. P. Aug. super Gen. tom. 3.

12. Vt autem ex istis modis accipiamus modos proficuos ad quæstionem propositam , accipiemus duos prædictorum . modorum , videlicet , prout spiritus accipitur pro corpore subtili , & prout spiritus accipitur pro mente , idest pro superiori parte animæ , seu pro parte illa , qua cognoscit , & sapit anima , iuxta illud , quod habetur in principio 3. de Anima .

Arist. 3. de anima textu 1.

De parte autem animæ , qua cognoscit , & sapit . Et etiam pro illa parte animæ , qua vult , & eligit anima .

Totum enim istud potest dici mens , vel pars superior animæ , qua anima me-

Aminit , & intelligit , quantum ad intellectum possibilem , & vult quantum ad voluntatem : per intellectum enim possibilem , anima meminit , & intelligit . Nam intellectus , vt est potentia , recipit species , per quas , conseruando , meminit , & dicitur memoria , sed vt est intellectus , & vt intelligit per illas species intelligibiles , sic conseruatas , dicitur intellectiua . Propter quod memoria , & intelligentia pertinent ad partem intellectiuam , idest intellectum possibilem , qui vt est possibilis , & vt recipit species intelligibiles , potest dici memoria : sed vt est intellectus , & intelligit per illas species , potest dici intelligentia , & sic memoria , & intelligentia pertinent ad superiorem partem animæ cognitiuam non alligatam organo , quæ dicitur intellectus possibilis . Voluntas autem pertinet ad superiorem partem animæ appetitiuam , non alligatam organo , quæ sic nominata est , quia dicitur voluntas . Hic enim intelligimus per voluntatem superiorem partem illam animæ , qua vult , & eligit anima .

Intellectus possibilis per species acceptas, conseruata meminit, intelligit dicitur quæ memoria, intelligit

CMens ergo , vel spiritus dicere videtur illam superiorem partem animæ , qua anima est imago Dei , vel secundum quod in anima est memoria , quæ representat Patrem . intelligentia , quæ representat Filium , & voluntas , quæ representat Spiritum Sanctum , quia sicut à Patre Filius , & ab vtroque Spiritus Sanctus , sic à memoria oritur intelligentia , & ab vtrisque , memoria scilicet , & intelligentia , oritur voluntas , idest procedit actus voluntatis .

Quomodo per memoriã intelligit, & vt voluntatẽ dicitur hominibus imago Sar & similitudinis .

DAdaptatus est ergo ad propositum vnus modus accipiendi spiritum , videlicet prout spiritus dicit ipsam mentem , vel ipsam partem superiorem animæ , secundum quem modum persuadet nobis Apostolus , quod *renouemur spiritu mentis nostræ* , secundum etiam hunc modum Dei Filius assumpsit animam mediante spiritu . Volumus ergo exequi de secundo modo accipiendi spiritum , prout spiritus accipitur pro quolibet corpore subtili , secundum quem modum possumus dicere , quod sicut Dei Filius est vnitus animæ , mediante spiritu , accipiendo spiritum

ritum pro ipsa mente, sic anima est vnita **A** carni, mediante spiritu, accipiendo spiritum, prout est idem, quod corpus subtile. Nam anima mediante corpore subtili, quod potest dici spiritus, vnitur corpori nostro grosso. Aduertendum tamen magis nos in hac materia dubitatiuè loqui, dicentes animam vniri corpori, mediante spiritu, vt quidam dicunt, sed non laudamus dubitatiuè loqui in aliqua materia, & dubitationes non soluere. Est enim sermo dubius, Vtrum anima vnatur corpori mediante spiritu. Nam si loquamur de anima, yt est forma corporis, sic est sermo falsus, quia inter materiam, & formam non cadit medium; sed si loquamur de anima, vt est motor corporis ad sentiendum, & est primum **B** sentiens; & vt mouet ipsum ad nutritionem, & est ipsum nutriens: ipsa enim anima, secundum Philosophum, est primum sentiens. Quod dictum sic verificatur, quia anima non sentit, nisi mediantibus potentijs sensituijs. Anima ergo, idest essentia animæ, est primum **C** sentiens, sed potentia sensitua, quæ oritur ab essentia animæ, est immediatè sentiens. Et sicut anima est primum sentiens, sic potest dici primum localiter mouens corpus, quia mouet ipsum mediante corde, & mediantibus musculis, & neruis, sic etiam potest dici primum nutriens, quia nutrit corpus mediante virtute, quæ est in hepate, sic potest dici primum generans, vel primum seminans, quia facit ad missionem feminis, per quod fit generatio, per virtutem quæ est in testibus. Et quia istæ operationes, & isti motus non fiunt sine quodam corpore subtili, quod potest dici spiritus, secundum **D** quem modum loquebamur supra, quod spiritus vitalis, siue spiritus localiter motiuus est in corde, spiritus nutritiuus in hepate, spiritus sensitiuus in cerebro, spiritus generatiuus in testibus. Anima ergo vt mouet corpus, inouet ipsum mediante spiritu, vel mediantibus spiritibus modo quo diximus.

Erit ergo hic ordo, quod Dei Filius vniuit sibi carnem mediante anima, & animam mediante spiritu, idest mediante mente, quæ modo, quo diximus, po-
Aegid. super iij. Sent.

test dici spiritus, & ipsa anima est vnita corpori mediante spiritu: sed non eodem modo accipitur spiritus, prout anima est vnita Deo mediante spiritu: quia ibi spiritus accipitur pro mente, & prout anima est vnita corpori mediante spiritu: quia ibi accipitur spiritus pro corpore subtili. Rursus anima, vt est forma corporis, non vnitur ei mediante spiritu, sed vt est motor, quia vt mouet corpus localiter, mouet ipsum mediante spiritu, qui est in corde, ad actum verò sentiendi mouet corpus mediante spiritu, qui est in cerebro; ad actum verò nutriendi, mediante spiritu, qui est in hepate; ad actum verò generandi, vel emittendi semen, mediante spiritu, qui est in testibus.

Notū ergo est, quod cum in præcedenti quæstione fecerimus quinque distinctiones de medio, licet quinta distinctio fuerit, quod medium potest esse effectiuum, & formale, hæc quinta distinctio non habebat locum in præcedenti quæstione, sed habet locum in hac secunda quæstione vlterijs quæsitæ, quia anima, vt est forma corporis vnitur ei immediatè, & sine medio, sed vt est motor corporis, vnitur ei mediante spiritu. Et quia motor reducitur ad causam efficientem, idè tale medium, per quod vnitur anima corpori, non dicetur medium formale, sed poterit dici medium effectiuum, idest motiuum, quia anima mouet corpus illis quatuor motibus, mediante quadruplici spiritu, vt est per habita declaratum.

RESP. AD ARG. ART. I.

Ad primum Articuli primi potest multipliciter responderi. Nam cum dicitur, remoto medio, dissoluuntur extrema, verum est de medio necessitatis, sed non de medio congruitatis. Desponsauit enim sibi Dei Filius carnem nostram, iuxta illud Ioann. 1. *Verbum caro factum est* Congruum ergo fuit, quod caro sic assumpta a Verbo esset animata anima rationali, tamen istud medium non fuit necessitatis, quia separata anima rationali à carne, adhuc remansit Verbum vnitum carni, sicut separata pulchritudine à con-

Mediū duplex, necessitatis, & congruitatis, actus, & appetitūdinis.

Io, c. i.

Anima accepta vt forma immediate vnitur corpori, accepta verò vt motor, mediante spiritu.

Quomodo recte dicatur anima primum mouens, primum nutriens, primum sentiens, & primum generans.

inge Regis, non propter hoc soluitur vinculum matrimoniale, sed adhuc remanet præfata coniux sponsa Regis. Vel possumus soluere argumentum per secundam distinctionem datam de medio. Nam cum dicitur, quod amoto medio dissoluuntur extrema, verum est de medio secundum actum, sed non oportet, quod sit verum de medio secundum aptitudinem. Anima autem non solum fuit medium secundum actum, sed etiam secundum aptitudinem. In morte ergo Christi separata etiam anima à carne fuit medium secundum aptitudinem, quia remansit in carne quædam aptitudo, & quidam ordo, ut remaneret caro vnita Verbo propter aptitudinem, & propter modum, quem habebat ad animam rationalem, à qua separata per mortem, erat iterum vnienda per resurrectionem.

Ad secundum dicendum, quod aliquid magis vniri alteri, potest intelligi dupliciter, vel quia pluribus modis sibi vnitur, vel etiã quia fortius sibi vnitur, ut etiam communiter dicitur. Anima autem in Christo magis vniebatur carni, quam Verbum, quia vniebatur ei pluribus modis. Vniebatur enim carni vinculo naturali, quia naturaliter ex forma, & materia fit ynum, Vniebatur ei vinculo Mediatoris, quia anima erat medium cuiusdam congruentiæ, vel cuiusdam aptitudinis, ut Verbum Dei Filius coniungeretur carni: Sed Verbum est coniunctum carni fortiori vinculo, quam fuerit coniuncta anima, quia coniunctum est ei in voluntate diuina, & ordine Dei, in cuius ditione cuncta sunt posita, & non est, qui possit suæ resistere voluntati. ideo propter istud fortius vinculum, anima separata à carne, potuit Verbum remanere vnitum carni, quia sic ordinauerat Deus, & sic volebat Deus.

Immediatio nõ attenditur maior, sed ex potiori congruitate.

Quomodo Deus dicitur esse in rebus omnibus immediate. in iustis item & Beatis mediate.

Ad tertium dicendum, quod vnio personalis est maior, quam omnes aliæ vniones, quia per omnes alias vniones non fit quod creatura non agat. Nam Deus est in omni creatura per præsentiam ibi præsentialem existens, omnia intuendo. Est in omnibus per essentiam, omnia conseruando. Est in omnibus per potentiam, omnibus dominando, sed in iustis est per

A gratiam eos ad bona opera inclinando. in beatissimis est per gloriam, siue per gratiam consummatam eos ad sui fruitionem eleuando. Quantum ergo ad tria prima non indiget creatura medio, quia omnia illa tria, præsentia, essentia, & potentia, dicunt diuinum influxum in creaturam. Nam si Deus est per præsentiam in qualibet creatura omnia cognoscendo, ipsa notitia Dei, quæ nõ causatur à rebus, sed est causa rerum, dicitur diuinus influxus in creaturam, quia semper debet causa influere in suum causatum. Sic etiam essentia, & potentia Dei, in creatura ad diuinum influxum sunt referenda, & quia creatura de se est receptiua diuini influxus, ideo ut est sic receptibilis, non indiget medio. Nec etiam indiget medio congruentiæ, quia ut communiter dicitur, congruum, & decens est, ut creatura à suo creatore non deseratur.

B Talia ergo etiam sine medio congruè fieri possunt: sed quod Dei Filius vniatur carni immediatè, & non mediante anima, vel non per medium, quod est anima, non fuisset congruum, ut est per habita manifestum.

C Possumus autem hoc argumentum soluere per tertiam distinctionem datam de medio, quia vel loquimur de medio secundum Dei potentiam absolutam, vel secundum Dei potentiam ordinatam. Secundum Dei potentiam absolutam, potuit Dei Filius vniri carni, etiam inanimatæ, sicut remansit vnitus post separationem animæ, sed secundum Dei potentiam ordinatam, dicemus Dum sic ordinasse, ut proprius Filius vniretur carni per mediũ, quod est anima, & moreretur pro nobis per separationem animæ à carne, & resurgeret per coniunctionem vtriusque, dans nobis in hoc firmam spem, & firmam credulitatem. *Quod si Christus resurrexerit, & nos resurgetur.*

Secunda responsio. Medij necessitas, vel de potetia absoluta Dei, vel de ordinata.

Possumus etiam, si volumus soluere hoc tertium argumentum per quartam, distinctionem datam de medio, videlicet quod medium necessarium potest esse duplex, quia vel est necessarium necessitate simpliciter, vel necessitate conditionata. Nam quæcunque præordinauit, & præuidit Deus, quia in scientia eius, vel præscien-

Tertia responsio. Medium necessarium dupliciter, vel necessitate simpliciter, vel conditionata tantum.

scientia sunt omnia praesentia, ideo omnia talia possunt dici necessaria, necessitate conditionata, sicut omne, quod est, quando est, necesse est esse. Quod ergo Dei Filius, idest Verbum vniretur carni per medium, quod est anima, & postea in morte anima illa separaretur à carne sine separatione Verbi, & in resurrectione iterum vniretur carni, hæc fuerunt necessaria necessitate conditionata, prout omnia praesentia sunt necessaria: quia quæcunque ordinavit Deus sunt praesentia, quantum ad suam scientiam. Quod verò addebatur de fruitione, dici potest, quod in fruitione est aliqua mediatio, cum non fiat fruitio, nisi per gratiam, & mediante gratia.

Caro dupli-
citer sumi
potest, vel
pro altera
parte homi-
nis, vel pro
toto homi-
ne.

D.P. Aug.
10m.2.

Ad quartum dicendum, quod cum Dei Verbum caro factum est, ut patet per Augustinum lib. 2. de Trinit. cap. 6. ibi: *caro stat pro toto homine*. & idem est, quod ibi dicitur: *Verbum caro factum est*: ac si diceretur, Verbum factum est homo, & quia homo non excludit, immò includit animam rationalem; ideo argumentum non arguit oppositum, sed propositum, scilicet, quod Verbum vnitum est carni per medium, quod est anima rationalis.

RESP. AD ARGUMENTA
Dubitationis Lateralis.

Restat ergo soluere duo argumenta facta pro quaestione ulterius mota, quæ de facili solvuntur, quia peccant per fallaciam, & æquivocationem.

Nam primum argumentum peccat per fallaciam æquivocationis, nam non eodem modo accipitur spiritus, cum diximus, quod Deus accepit animam mediante spiritu. Quia hic spiritus accipitur pro ipsa mente, vel pro ipsa parte superiori animæ; sed cum diximus, quod anima vnitur corpori mediante spiritu, ibi spiritus accipitur pro quodam corpore subtili, mediante quo anima mouet corpus, vel exercet suas operationes in corpore.

Spiritus vel
accipitur
pro parte
superiori
animæ, vel
pro corpo-
re quodam
subtili &c.

Et per hæc patet solutio ad secundum. Nam spiritus, mediante quo Deus assumpsit animam, differt à Deo, & ab anima. A Deo quidem differt: quia spiritus sic acceptus est ipsa, quæ non est ipse Deus. Et si dicatur, quod spiritus est Deus, pa-

Spiritus du-
pliciter su-
mitur, vel
vnitocet,
vel æqui-
uocet.

tet quod æquivocatur ibi, in accipiendo spiritum: sic etiam spiritus, mediante quo dicitur esse assumpta anima, differt ab ipsa anima, sicut pars superior in aliquo toto differt ab ipso toto. ipsa enim est quoddam totum ad suas potentias: & ibi mens, mediante qua dicitur assumpta anima potest stare pro superioribus potentijs animæ, non alligatis corporalibus organis. Vel etiam possumus dicere, quod ipsa essentia animæ est quoddam totum ad seipsam, & differt à seipsa, prout aliter, & aliter subiicitur potentijs superioribus non organicis, & potentijs inferioribus organicis.

ARTIC. II.

Virum Deus assumpserit totam naturam humanam mediantibus partibus. Conclusio est affirmatiua.

D. Thom. 3. p. q. 6. art. 5. Nazar. Caiet. Medina. Cabr. ibidem. Alvarez. disp. 30. in 3. p. Val. tom. 4. q. 6. art. 5. puncto 2. Suar. tom. 1. disp. 17. sect. 5. Argent. in 3. d. 2. q. 1. art. 3. Dur. d. 2. q. 2. Vasquez ad 3. p. disp. 39. per totam. Ioseph. Ragusa disp. 66.



SECUNDO queritur de ordine assumptionis, prout totum comparatur ad partes, & è conuersò, & videtur, quod Deus non assumpserit totam naturam humanam mediantibus partibus, quia si hoc esset, tunc propter communicationem idiomatum Deus non solum prædicaretur de toto, prout diximus, quod Deus est homo; sed etiam prædicaretur de partibus, & diceretur, quod Deus est corpus, vel Deus est anima, ergo magis prædicaretur de partibus, quam de toto, cum dicatur fuisse assumptum totum mediantibus partibus.

Præterea. Creaturæ, cui est vnita Deitas in vnitate personæ, debetur honor patriæ, sed si partes corporis Christi essent separate à corpore, ut dicunt aliqui, non debetur eis honor patriæ: ergo non est assumptum mediantibus partibus, cum homini toti debeatur honor patriæ.

Præterea. Singularitas assumptis, & assumpti

assumpti est vna, quia est vna personalitas assumptis, & assumpti: sed singularitates partium videntur esse multæ, & quia Deus assumpsit humanam naturam in atomo, vt vult Damascenus, cum atomus singulariter sumptus dicat vnam singularitatem, vel vnam indiuiduationem: magis assumptæ sunt partes, mediante vno toto, quàm vnum totum mediantibus partibus pluribus.

Ar. 1. Polit.

Præterea Philosophus 1. Politic. vult, quòd necessarium est, totum esse prius parte: sed magis assumitur posterius mediante priori, quàm è conuersò: ergo non est assumptus totus homo, mediantibus partibus, sed è conuersò.

IN CONTRARIVM est, quia in morte Christi dissoluto toto, remansit Deitas vnita partibus. Quod non fuisset nisi Deitas fuisset vnita toti mediantibus partibus.

Præterea, quòd competit toti, & parti, videtur per prius competere parti, quàm toti: sed Deitas fuit vnita toti nature humane, & partibus: ergo prius fuit vnita partibus, quàm toti.

RESOLVTIO.

Diuinitas fuit simul tempore coniuncta toti nature humane, & partibus eius. & quia que sunt simul tempore, ratione, & natura priora, & posteriora esse possunt: prioritate rationis, quia partes origine, & in fieri præcedunt ipsum totum, prius natura, seu naturali intelligentia, tota natura fuit assumpta, mediantibus partibus: complemento vero, & perfectione, quia totum partes præcedit, assumpta fuerunt partes eiusdem nature, mediante toto.

RESPONDEO: dicendum, quòd ordine temporis, Deitas fuit simul coniuncta toti, & partibus; si ergo est ibi aliqua prioritas, hoc non est ratione temporis, sed ratione ordinis prioritatis, quam habent partes ad totum, vel è conuersò. Et ideo communiter soluitur quæstio proposita, quòd partes sunt priores toto originaliter, vel in fieri, sed totum est prius partibus perfectione, & complemento originaliter; ergo in fieri totum fuit as-

Partes origine præcedunt totum, totum vero partes perfectione, & complemento.

sumptum, mediantibus partibus: perfectione autem & complemento partes fuerunt assumptæ, mediante toto.

Sed dices, ex quo fuit simul tempore tam assumptio totius, quàm assumptio partium, non potuit ibi naturalis ordo interuenire. Ad quod dici potest, quòd que sunt simul tempore, possunt esse prius natura, nec est inconueniens, aliqua esse simul tempore, & tamen alio, & alio modo, vnum esse prius alio, & è conuersò.

Simul ergo tempore Dei Filius assumpsit totam naturam humanam, & partes eius. Nam statim cum dixit Beata Virgo, *Ecce ancilla Domini* &c. mox fuit in vtero Verbum caro, idest Verbum homo. Quia ibi caro stat pro toto homine. Hoc tamen non obstante originaliter, & in fieri prius intelliguntur esse partes, & esse coniunctæ ad inuicem, quàm intelligatur esse totum. Perfectione autem, & complemento prius intelligitur esse totum, quàm partes, quia quoad intelliguntur partes, vt partes, nisi intelligatur ex illis partibus constitui aliquod totum, non intelligitur ibi esse aliquod perfectum, quia totum, & perfectum idem, vel proximum secundum naturam, vt dicitur 3. Physic. Possent enim aliqua differentia dari inter totum, & perfectum, vt dicatur aliquid totum, prout coniungit omnes partes, & dicatur perfectum, prout nihil sibi deficiat. Et propter hoc ista duo fortè combinavit Philosophus, quòd *totum, & perfectum idem, & postea secundò addidit, vel proximum secundum naturam*, quia omnes partes congregare, quod importatur nomine totius, & nihil sibi deficere, quod importatur nomine perfecti, verè est idem dicere, vel intellectus vnius dicti, est valdè proximum intellectui alterius. Originaliter ergo partes præcedunt totum, quia non possumus intelligere totum hominem, nisi intelligamus esse animam, & corpus ad inuicem coniuncta, & ex ijs constitui totum originaliter. Ergo quia partes hoc modo sunt priores toto, Dei Filius prius assumpsit partes, quàm totum: perfectione verò, & complemento est è conuersò; & si inter hæc omnia non fuit ibi ordo temporis, fuit tamen ibi ordo nature. Nam simul tempore, & in eodem instanti illuminatur aer,

Obiectio.

Solutio.

Non est inconueniens quæ sunt simul tempore esse prius, & posteriora secundum naturam.

Ar. 3. phy tex. 64.

Totum, perfectum quomodo differant.

mul-

illuminatio
aeris, spe-
cies coloris
in medio,
eandem
receptio in
oculo, & vi-
sio ipsa sunt
in vno, &
eodem in-
stanti tem-
poris, ordi-
ne tamen na-
turae praee-
dunt, & sub-
sequuntur.

multiplicantur species coloris in medio, recipiuntur in visu, & fit visio; quia omnia ista fiunt in vno, & eodem instanti. Ordine tamen naturae, prius illuminatur aer, postea multiplicantur species coloris in medio, tertio recipiuntur in oculo, & quarto fit visio. In vno ergo, & eodem instanti Verbum fuit vnitum partibus humanae naturae, & toti naturae. Sed natura, idest naturali intelligentia, primum, intelligitur vnitum partibus originaliter, & in fieri, quia hoc modo partes praecedunt totum, & mediantibus partibus, intelligimus factam esse vniorem ad totum, Perfectione vero, & complemento prius natura, idest naturali intelligentia, facta fuit vniore ad totum, & mediante toto ad partes, quia hoc modo totum praecedit partes.

Dubitatio. Sed si sic dicimus, quod credimus bene dictum, occurrit nobis grauis dubitatio. Nam etiam videtur quantum ad fieri, totum praecedere partes. quia secundum Philosophum: *Non fit nisi compositum*, quia non fit materia, nec forma, sed fit totum compositum ex materia, & forma, partes ergo non fiunt per se, sed totum est illud, cui per se competit fieri, partes autem non fiunt nisi factione totius, & quia semper quod est per se, est prius eo quod est per aliud; cum ergo totum sit illud, quod per se fit; partes vero non fiunt, nisi factione alterius, idest factione totius; videtur etiam, quod quantum ad fieri, totum sit prius partibus.

Solutio. Sciendum est ergo, quod totum semper est illud, quod habet per se esse, partes autem non habent esse per se, sed habent esse in toto, & ideo ex isto esse per se, quod conuenit toti, & non partibus, loquendo de per se esse, aliquam specialitatem habet totum respectu partium; sed hoc non obstanto generatione, & in fieri partes sunt priores toto. nam, licet non fiat forma per se, sed fiat forma in materia, nec materia fiat per se, sed fiat sub forma; tamen prius intelligimus fieri formam in materiam, & materiam sub forma, quam intelligamus fieri totum. Originaliter ergo, & in fieri, partes sunt priores toto. Nam cum partes constituent totum, & constituentia sint prius, quam constitutum, esse non potest, quin partes

Partes non habent esse per se, sed in toto, & nihilominus in fieri praecedunt origine ipsam totum.

A sint priores toto, saltem originaliter, & in fieri. Cum ergo dicitur, quod totum est illud, quod per se fit, intelligendum est prout per se fieri, & per se esse, distinguitur contra fieri in alio, vel esse in alio. Totum enim fit per se, quia habet per se esse. Partes enim non fiunt per se, quia non habent esse per se. Et si dicatur, quod totum etiam in partibus, & partes in toto: dicemus, quod totum est in partibus tanquam constituentia in constituto, vt utroque modo semper prioritas attribuitur partibus, & posterioritas toti: nam partes sunt priores toto, qui constituent totum, & sunt priores toto, quia totum constituitur ab eis. Et sicut utroque modo partes sunt priores toto, sic utroque modo totum est posterius partibus; sed ista prioritas partium respectu totius, non potest intelligi perfectione, & complemento, quia hoc modo totum semper est prius partibus. Toti ergo per se attribuitur fieri, & non partibus: non quin partes commodo, quo potest eis competere fieri, fiant post totum, sed propter hanc specialitatem, quam habet totum respectu partium, quia habet per se esse, & non partes, per se fieri comperit toti, & non partibus; sed eo modo quo fieri potest competere partibus, quia competit eis fieri in alio, & esse in alio, prius intelligitur fieri partes, quam fieri totum, & esse totum.

Dubitatio.
Solutio.
Partes sunt in toto tanquam constituentia in constituto, & totum in partibus tanquam constitutum in constituentibus.

C Dicimus ergo, quod tripliciter partes sunt priores toto, & tripliciter totum est prius partibus. Nam constitutione, resolutione, & causalitate, partes praecedunt totum: perfectione vero, intentione, & operatione totum praecedit partes. Primo ergo dicere possumus, quod partes sunt priores toto constitutione; nam in constituendo est processus a prioribus ad posteriora, quia semper constituentia sunt priora constituto. Secundo partes sunt priores toto, non solum constitutione, sed etiam resolutione, quia in partes resoluitur totum: nam sicut in constitutione est processus a prioribus, ad posteriora, sic in resolutione est processus a posterioribus, ad priora. Dicimus enim, quod conclusiones resoluntur in principia. Tertio partes praecedunt totum causalitate, quia sunt causa totius. **Iste autem**

Constitutione, resolutione, & causalitate partes totius praecedunt, totum partes perfectione, intentione, & operatione.

tem tertius modus potest cōcludi ex quolibet prædictorum duorum modorum . Nam tam ea, quæ constituunt aliquid, possunt dici causa constituti, quàm ea, in quo resoluitur aliquid, sunt causa resolutionis . Propter quod miscibilia sunt causa mixti, quia componunt, & constituunt mixtum, & in ea resoluitur mixtum . Assignauimus ergo tres modos prioritatis partium respectu totius, sic possumus assignare tres modos prioritatis totius respectu partium, quia totum est prius partibus perfectione, intentione, & operatione . Quod autem totum sit prius perfectione declaratum est per iam dicta . Sed quod sit prius intentione, etiam de leui patet, quia semper prius intenditur, quod melius est, & quod perfectius, & ideo siuè in arte, siuè in natura secundum intentionem agentis totum est prius partibus .

Tam secū-
dum naturē
quā secun-
dum artem
in intentio-
ne agentis
semper to-
tū est prius
suis parti-
bus.
Arist. 1. de
an. t. c. 12.

Tertiò totum est prius partibus operatione, quia toti attribuitur operatio, non parti, & loquendo de parte formali, quia animæ, quæ est pars formalis hominis, non attribuitur operatio, iuxta illud 1. de Anima . *Anima non intelligit, sed homo per animam* . Cū ergo quæritur: Vtrum Verbum Dei Filius assumpsit totum mediantibus partibus, vel è conuersò, dici potest, quod natura, idest naturali intelligentia, eo modo, quo partes præcedunt totum, assumpsit totum mediantibus partibus, sed eo modo, quo natura, idest naturali intelligentia totum præcedit partes, assumpsit partes mediante toto . Nam si non potest assumi totum, nisi tanquam illud, quod est constitutum ex partibus, & tanquam illud, quod resolvable in partes, & tanquam illud causatur ex coniunctione partium natura, idest naturali intelligentia, oportet, quod si aliquid vnitur toti, & parti, quod præfatis tribus modis prius intelligatur vniri partibus, & mediantibus partibus vniri toti, sed alijs tribus præfatis modis, quibus totum est prius partibus, oportet, quod natura, idest naturali intelligentia sit è conuersò .

Tripliciter
dicitur Ver-
bum etiam
prius vniri
toti, quā
partibus, &
tripliciter
dicitur è
conuersò.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod non quic-

A quid assumitur, vel vnitur alicui, prædicatur de illo . Verbum enim assumpsit totam humanam naturam, & partes, tamen si volumus ex hoc arguere, quid prædicatur de Verbo, & quid non, dicemus, quod illud prædicatur de aliquo, per quod aliquid sortitur esse in specie, vel in genere, puta totum collocatur in genere, & in specie *pe se*; partes autem collocantur per reductionem, ideo non oportet, quod si illis modis, quibus partes sunt priores toto, Dei Filius assumpsit totum hominem mediantibus partibus, partes quoque prædicentur de Dei Filio eque, vel magis, quàm totum, cū Filius factus homo, sit in eadem specie, & sit homo, sicut & nos, & in eodem genere nobiscum per totum, non per partes, quia partes sunt in genere, & in specie per reductionem, idest per totum, Aduertendum tamen, quod licet certum sit, quod Christus viuens, quod fuit quādiu anima eius coniuncta fuit corpori, loquendo de vita, prout viuebat vita hominis, quia tunc ex anima, & carne, constituebatur quoddam totum, idest homo Christus, vel Dei Filius, erat homo, nec erat anima, nec erat caro, accipiēdo carnem, prout dicit partem, non prout dicit totum, secundum quem modum loquitur etiam Ioann. 1. cū dicit: *Verbum factum est caro*, idest factum est homo, accipit enim ibi carnem, prout dicit totum, non prout dicit partem, vt patuit per D. August. de Trinit. Sic etiam certum est, quod postquam Christus resurrexit, & fuit iterum anima coniuncta carni, quod Christus non fuit caro, nec anima, sed fuit homo, idest totum, quod resultat ex anima, & carne . Sed dubium est in illo triduo, quia fuit separata anima à carne, natura verò non fuit separata à Verbo . Vtrum Christus, vel Dei Filius potuerit dici anima, secundum quam descendit ad inferna, & potuerit dici caro, secundum quam iacuit in sepulchro, sed infra eum disputabimus, de morte Christi, poterunt ista ventilari .

Ad secundum dicendum, quod quicquid dicant alij, nos tamen credimus, quod quæcunque pars hominis esset separata à toto, dum tamen illi parti remaneret vnita deitas, debetur illi parti honor

Non om-
illud, qu-
assumitur
vel vnitur
alicui præ-
dicatur
eo . sed
lud tantu
per quod
aliqua f-
tatur ge-
nus, vel s-
cie; ex qu-
bus sumit
prædicat

Ioan. c. 1

D. P. Aug
tom. 3.

In triduo
Verū Ch-
stus potu-
rit dici a-
nima, vel c-
ro.

honor patriæ: Nam ipsi homini Christo, non debetur honor patriæ, nisi quia humanitas illa est unita Deo, & homo ille est Deus. nam si humanitas illa contingeret suppositum, & non esset coniuncta. Verbo in unitate personæ, illi homini non deberetur honor patriæ.

si humanitas Christi constitueret suppositum, & non esset supposito Verbi unita non deberetur ei honor patriæ.

Ad tertium dicendum, quod Dei Filius assumpsit naturam humanam in atomo, indiuiduam, & singularem, quantum ad totum, quia accepit vnam hanc singularem carnem; & vnam hanc singularem animam. Hæc tamen singularitas, potest magis attribui toti, quam parti bus, quia totum habet esse per se, & non per partes. Ex huiusmodi ergo singularitate, simpliciter loquendo, non potest argui, quod partes sint assumptæ, mediante toto, nec è conuersò, nisi forte ratione perfectionis, quæ magis reperitur in toto, quam in partibus.

Totum habet esse per se, & non per partes.

Idè aliter & aliter consideratum, potest dici prius, & posteriorius.

Ad quartum dicendum, quod omnibus illis modis, quibus totum est prius partibus, partes fuerunt assumptæ mediante toto, sic & illis modis, quibus partes sunt priores toto, fuit ibi è conuersò.

ARTIC. III.

Vtrum natura humana fuerit assumpta mediante gratia. Conclusio est negatiua.

D Thom. 3. p. q. 2. art. 10. Caiet. Siluius. Medina. Joseph. Ragusa. Vasquez. ibid. Magister Cabrera ibid. disp. 2. D. Bonau. 3. d. 2 art. 3. q. 2. Ricch. 3. d. 2. q. 7. Valentia. tom. 4. disp. 1. q. 2. princ. p. 7.



TERTIO quaeritur de ordine vnionis, vel assumptionis, prout natura humana potest comparari ad aliquid aliud, videlicet ad gratiam.

Vtrum fuerit assumpta, mediante gratia.

Et videtur quod sic, quia super illo verbo ad Hebr. 2. *Nequaquam Angelos apprehendit*, &c. dicit Glossa, *quod ex eo, quod Deus apprehendit semen Abrahæ, potest intelligi humanæ naturæ dignitas, mi-*

Heb. c. 2.

A *sericordia, & gratia* ergo mediante misericordia, & gratia Deus, siue Dei Filius vniuit sibi naturam humanam.

Præterea. Maior est vnio personæ, quam vnio animæ beatæ ad Deum per fruitionem: sed vnio huiusmodi beata fuit per gratiam: ergo multò magis vnio in persona fuit per gratiam.

Præterea. Ea, quæ excedunt facultatem naturæ, oportet quod fiant per gratiam: sed vnio humanæ naturæ ad diuinam personam excedit facultatem humanæ naturæ: ergo &c.

B Præterea. vnio aliquorum non potest fieri, nisi mediante vnione, sed ipsa vnio est quædam magna gratia, ergo &c.

IN CONTRARIUM est, quia corpus humanum in morte remansit unitum Verbo; sed corpus humanum secundum se non est susceptibile gratiæ: ergo &c.

Præterea, secundum August. ad Voluf. *In ijs, quæ miraculose fiunt, tota ratio facti est potentia facientis.* cum ergo vnio naturæ humanæ, ad personam Verbi fuerit potissimè miraculosa, non oportebat, quod huiusmodi requireretur gratia, sed sola facientis potentia.

D. P. Aug. tom. 2.

RESOLVTIO.

Vnio Verbi cum humana natura non est facta mediante gratia habituali: sed grata Dei voluntate, qua media antecederet facta est assumptio humana natura, ex qua resultauit vnio consequenter, quæ est relatio quedam in creatura secundum rem, in Deo secundum rationem.

D

RESPONDEO: dicendum, quod gratia potest tripliciter, quantum ad presens spectat, sumi. Primò gratia potest dici ipsa grata Dei voluntas, qua gratiosè fit quicquid boni fit, secundum quem modum, quicquid boni communicatur creaturæ, vel fuit in creatura, totum potest dici gratia, quia totum fit ex grata Dei voluntate, non ex aliquo debito; hoc modo ipsa natura nobis communicata potest dici quædam gratia, quia communicata est nobis ex grata Dei voluntate. Deus enim mutuauit nobis quicquid habemus,

Gratia tripliciter sumitur. primò pro grata Dei voluntate: secundò pro dono habituali tertio pro vnione ad personam diuinam, quæ est relatio ex assumptione creaturæ.

bemus, quia ipse est diues per se ipsum; nos autem sumus diuites ex mutuatis, vt potest haberi ex 22. propositione de causis. Nihil enim habemus, quàm gratis non acceperimus, iuxta illud: *Quid habes, quod non accepisti?*

Author de
caulis pro.
21.
1. Cor. c. 4.

Secundo modo potest dici gratia, quoddam donum habituale, siue sit perficiens essentiam animæ, dans esse spirituale, quæ propriè dicitur gratia, iuxta illud 1. Corinth. 15. *Gratia Dei sum id, quod sum*, siue sit perficiens potentiam, dans agere spirituale, quæ propriè dicitur virtus.

1. Cor. c. 15.

Tertio modo potest accipi gratia pro ipsa vnione ad Personam diuinam: nam magna gratia fuit facta homini, quando Dei Filius voluit seipsum exinanire, non formam Deitatis perdens, sed formam ferui accipiens: cum ergo quæritur. Vtrum natura humana sit assumpta à supposito Verbi, mediante gratia, si loquamur de gratia primo modo, prout ipsa grata Dei voluntas dicitur gratia, sic gratia mediante, assumpta est natura humana à

Terminus
assumptionis
fuit per
sona Verbi.

Verbo. Nam licet persona Verbi fuerit terminus illius assumptionis, quia terminata est talis assumptio ad solam personam Verbi; principium tamen, & causa illius assumptionis fuit tota Trinitas. Et quia quicquid hic inferius agitur à Deo Trino, diuina voluntas est summa, & prima causa omnium. Nihil enim visibiliter, & sensibiliter hic agitur, quod in interiori inuisibili, atque intelligibili aula summi Imperatoris, non iubeatur, aut non permittatur. Sed si loquamur de gratia secundo modo, prout est quoddam donum habituale perficiens essentiam, vel

Nihil in mūdo agitur, quod à Deo non iubeatur, vel permittatur.

potentiam animæ, sic tale donum non potest esse medium propriè loquendo inter suppositum Verbi assumens, & humanam naturam assumptam. Fuit enim ibi duplex vnio, & secundum nullam illarum duarum vnionum potuit ibi cadere medium aliquod. Primò enim fuit ibi anima vnita tanquam forma, cum sua carne, tanquam cum materia: inter materiam autem, & formam, nullum potest cadere medium, & talis vnio secundum Philosophum non habet causam nisi motorem. Eo enim ipso, quod caro, vel corpus est in potentia ad animam, tanquam

Gratia habitualis non potest esse medium inter suppositum Verbi, & naturam humanam.

A propria materia ad suum actum, non requiritur ibi clauus, nec colla coniungens actum suæ potentiae, vel suæ materiae, sed eo ipso, quod hoc dicit potentiam, & hoc dicit actum, fit ex eis vnum, tanquam ex potentia, & actu. Talia ergo non habent aliud medium, vel aliam causam mediam, nisi motorem, qui facit potentia tale, esse actu tale: propter quod in vnione animæ Christi, ad carnem eiusdem nullum fuit medium, quia in vnione aliarum formarum ad suas materias, non cadit aliquod medium: nisi fortè medium

B disponens materiam, vel faciens materiam congruam suæ formæ, vt puta, si ex aere debet fieri ignis, materia aeris semper calefit, & per calefactionem disponitur materia aeris, vt ibi introducatur forma ignis, & si quærat: Vtrum calor præcedat formam ignis, dicemus, quod in fieri præcedit, sed in facto esse sequitur. Vel dicemus, quod calor imperfectus præcedit formam ignis, sed calor perfectus sequitur: propter quod huiusmodi calor non cadit medium in vnione materiae ad formam, sed sequitur huiusmodi vnionem. Ideo dicitur in 1. physic. quod *materia subiecta cum forma est causa omnium accidentium, quæ sunt in ea.*

Arist. 1. Ph
sic. t. c. 63

Fuit autem alia vnio in Christo nature ad suppositum, seu nature ad personam, tamen vnionem illam libentius nominamus nature ad suppositum, quia hæc est generalis. namque in omnibus reperitur ratio suppositi; non autem reperitur in omnibus ratio personæ, sed solum in rationalibus, vel habentibus intellectum. Et quia magis generalia, sunt nobis magis nota, quam minus generalia, iuxta illud 1. Physic. *sunt nobis nota confusa magis,*

D idest magis generalia. Propter quod licet in Christo sit idem suppositum, & persona, tamen etiam in ipso Christo, propter congruentiam materiae aliquando loquimur potius de supposito, propter generaliore acceptionem, quàm de persona. Dicimus ergo, quod sicut in vnione materiae, & formæ non cadit aliquod medium interpositum inter ea, sic in vnione nature, & suppositi, non potest cadere aliquod medium interpositum. Potest enim inter materiam, & formam cadere medium idoneitatis, quod reddit materiam

Arist. 1. ph
sic. t. c. 4.

In vnione
materie cum
forma non
cadit me-
dium perfe-
ctum, sed
idoneitatis
tantum, seu
medium im-
perfectum
in fieri.

riam

riam idoneam ad susceptionem formæ, ut
 cut raritas reddit materiam idoneam ad
 susceptionem formæ ignis; sed tale me-
 dium præcedit in fieri, non in facto esse,
 vel præcedit vt imperfectum, sed sequi-
 tur vt perfectum. sic etiam calor est hu-
 iusmodi medium. Si ergo quaratur.
 Vtrum raritas, & calor præcedant for-
 mam ignis, dici debet, quòd hæc vt im-
 perfecta, & in fieri præcedunt; sed vt
 perfecta sequuntur. In illo enim eodem
 instanti, in quo materia ignis est perfe-
 ctè rara, & perfectè calida, introducitur
 ibi forma ignis, ita quod ordine naturæ,
 prius materia suscipit formam ignis, &
 postea à materia, cum forma ignis, tan-
 quam à causa oritur calor perfectus, &
 raritas perfecta in igne. Materia ergo si-
 cut secundum essentiam ordine præcedit
 formam, sic perfectione forma præcedit
 materiam: sed dispositio perfecta, quæ est
 per accidentia, causatur à coniunctio-
 ne materiæ cum forma, & sequitur, & est
 posterior coniunctione materiæ subiectæ
 cum forma.

Quod autem dictum est de materia, &
 forma, veritatem habet de natura, &
 supposito. Nam inter naturam, & sup-
 positum, nullum potest cadere medium,
 secundum interpositionem, quòd aliquid
 se interponat inter naturam, & supposi-
 tum, vel secundum causalitatem forma-
 lem, quòd aliquid aliud à natura, & sup-
 posito se interponat formaliter ad cau-
 sandum vnionem naturæ cum supposito.
 Eo enim ipso, quòd tale aliquid est sup-
 positum talis naturæ, conueniens est,
 quòd illud suppositum sit immediatè
 vnitum illi naturæ, quia quælibet natura,
 & specialiter natura creata non habet esse,
 nisi in suo supposito. Propter quod eo
 ipso quod aliqua natura intelligitur esse,
 conueniens est, quod habeat esse in suo
 supposito. Possunt ergo talia habere me-
 dium effectiuum, quia etiam vnio mate-
 riæ ad formam habet medium ipsum,
 motorem, qui transmutando materiam,
 inducit formam, & istud medium est
 præcedens, & habet medium idoneita-
 tis, vel congruitatis, vt raritas perfe-
 cta, & calor perfectus sunt medium,
 vt materia sit idonea, & congrua ad
 Aegid. super iij. Sent.

A formam ignis, & tale medium, licet
 possit esse præcedens in fieri, & secun-
 dum imperfectionem, tamen in facto
 esse, & secundum perfectionem, sem-
 per est sequens. Si ergò hoc volumus
 adaptare ad naturam humanam assum-
 ptam à Verbo, vel vnitam supposito
 Verbi, poterimus assignare tale me-
 dium effectiuè, videlicet totam Trini-
 tatem, vel Dei voluntatem, vel ap-
 propriatè Spiritum Sanctum, & tale
 medium erat præcedens.

B Vel poterimus assignare medium ido-
 neitatis, & congruitatis, & tale me-
 dium potest esse gratia, prout dicit ali-
 quod donum habituale perficiens es-
 sentiam, vt ipsa essentia sic assumpta sit
 grata Deo, vel perficiens potentias, cu-
 iusmodi sunt scientiæ, & virtutes.
 Congruum enim, & idoneum erat, vt
 natura sic assumpta esset grata Deo, &
 esset perfecta scientijs; & virtutibus,
 sed tale medium non est secundum im-
 positionem, sed secundum consequen-
 tionem. Immediatè enim natura hu-
 mana est iuncta supposito Verbi, talem-
 verò vnionem consequuta est perfectio
 scientiarum, & virtutum, & donorum,
 & omnis alia perfectio congrua, vt in-
 nocentia, sanctitas, &c.

C Ostenso quomodo ad vnionem hu-
 manæ naturæ cum Verbo se habet gra-
 tia, prout gratia accipitur pro volun-
 tate Dei gratis omnia conferente; &
 viso, quomodo ad huiusmodi vnio-
 nem se habet gratia, prout est donum,
 aliquod habituale, vel prout est donum
 aliquod gratis datum, vel gratum fa-
 ciens. Restat aliquid dicere de ipsa vnio-
 ne, vel de ipsa gratia vnionis. Nam pro
 eodem accipimus gratiam vnionis, &
 ipsam vnionem.

D Sciendum ergo, quòd ipsa vnio Ver-
 bi ad humanam naturam est quedam
 relatio temporalis, competens Deo ex
 tempore. omnis autem talis relatio (vt
 communiter ponitur) est in creatura
 realiter, in Deo autem secundum ra-
 tionem. Propter quod talis vnio, vel
 talis relatio est in humana natura se-
 cundum rem, in Deo autem secundum
 rationem; quia nihil nouum realiter po-

Tota Trini-
 tas fuit me-
 dium effe-
 ctiuum in
 incarnatio-
 ne.

Vnio Verbi
 est relatio
 temporalis
 competens
 Deo ex tẽ-
 pore. reali-
 ter subie-
 ctuè est in
 humana na-
 tura, in Deo
 autem secun-
 dum ratio-
 nem.

Quomodo
 se habeat
 ad materiã
 formã, &
 dispositio-
 nes.

Motor dici
 potest me-
 dium effe-
 ctiuũ vnio-
 nis formæ
 cum matè-
 ria.

H test



I. Iac. c. 1.

test esse in Deo, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. in quo dicto concordant omnes Theologi. Cum ergo in ad aliquid non sit

Arist. v. phy sic. 1. c. 10.

motus (vt dicitur in 5. physicor.) oportet, quod omnis motus, & omnis nouitas realis primò terminetur ad aliquid absolutum, & postea ex terminatione reali ad absolutum, potest causari, & oriri relatio; vt alteratio aliqua terminatur ad albedinem, postea ex eo, quod aliquid factum est album, potest inde causari, & oriri similitudo, & poterit illud dici simile, sic temporalis, & noua assumptio naturæ humanæ, terminata est ad humanam naturam, quæ est aliquid absolutum, & ex hac terminatione ad absolutum est causata, & orta relatio, quæ est vnio. Vnio ergo, vel gratia vnionis, non est aliquid præcedens assumptionem humanæ naturæ, sed aliquid consequens, sicut respectiuum, consequitur absolutum.

Vnio resultat ex assumptione humanæ naturæ est consequens assumptionem, sicut respectiuum consequitur absolutum. Obiectio.

Boet. de Trin.

Sed dices, quod vnio, de qua loquimur, terminata est ad personam Verbi immediatè, sed personalitas Verbi in diuinis dicit quid relatiuum, quia secundum Boetium in lib. de Trinit. *Substantia in diuinis continet unitatem, sed relatio multiplicat Trinitatem.*

Solutio.

Ad quod dici potest, quod cum loquimur de mutatione aliqua, vel de nouitate aliqua, vel relatione, ex ijs accepta, debemus loqui de eo, in quo est talis relatio secundum rem, non de eo, in quo est secundum rationem tantum.

Vnio est relatio in Deo secundum rationem, in creatura secundum rem.

Et quia vnio, de qua loquimur, vt est relatio, est in humana natura secundum rem, in Deo autem est solum secundum rationem; ideo de tali vnione loquendum est, prout in ipsa humana natura habet esse huiusmodi vnio, quæ, vt relatio, est in humana natura secundum rem, in Deo autem solum secundum rationem. Ideo signanter in hac quæstione diximus, quod omnis motus, & omnis nouitas realis, & omnis relatio ex tali motu, vel nouitate potest esse in creatura realiter, in Deo autem non, nisi secundum rationem. Patet ergo, quomodo gratia vnionis, vel ipsa vnio, quæ est relatio, si acci-

piatur, vt medium, non erit medium, vt assumptionem præueniens, sed vt assumptionem consequens, & vt causatum à tali assumptione.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod gratia fuit magna, sed huiusmodi gratia, vt dicit aliquod donum habituale, si accipiat, vt est medium, erit medium consequens, idest assumptionem humanæ naturæ ad diuinum suppositum, quia inter naturam, & suppositum, nullum potest cadere medium, & specialiter non potest cadere aliquod medium, quod sit accidens, cuiusmodi sunt quicunque habitus, quæcunque dona, quæcunque virtutes, vel scientiæ.

Gratia habitualis est medium consequens, non autem antecedens vnioni.

Ad secundum dicendum, quod vnio secundum fruitionem, est vnio secundum operationem: nam prout per intellectum, & voluntatem ferimur in Deum, dicimur frui Deo. Constat autem, quod perfecta operatio, cuiusmodi est fruitio, non potest egredi à potentia, vt communiter ponitur, nisi sit perfecta per habitum, & ideo non est simile de fruitione, & de vnione naturæ ad suppositum, quia natura per seipsam est immediatè apta nata vniri suo supposito, formaliter loquendo. Possumus ergo ibi assignare medium effectiuum, scilicet Dei voluntatem, qua causata est talis vnio, vel assumptio, non autem medium formale aliud ab ipsa natura assumpta.

Vnio per fruitionem est secundum operationem: sed vnio per assumptionem est secundum esse formaliter.

Ad tertium dicendum, quod licet assumi in unitatem diuini suppositi, vel personæ excedat facultatem humanæ naturæ, tamen si fiat talis assumptio voluntate diuina, fiet illo modo, quo natura est apta nata vniri supposito suo, hoc autem est immediatè per seipsam; si autem assignabimus ibi medium præcedens, erit medium effectiuum, videlicet diuina voluntas: sed si ibi assignabitur medium congruitatis, vel idoneitatis, erit medium consequens, vt est per habitum manifestum.

Vnionis potest assignari medium effectiuum non autem formale.

Quæ excedunt &c. nõ requirunt gratiã, sed sufficit diuina voluntas.

Ad quartum patet solutio per iam dicta, quia vnio, quæ est quædam relatio, se habet vt consequens, ad assumptionem huma-

humanæ naturæ, quæ est quid absolutum. Debemus enim de vnione, quæ est relatio loqui per comparisonem ad naturam humanam, in qua habet esse realiter, non in comparatione ad Deum, vel ad diuinum suppositum, in quo habet esse solùm secundum rationem. Assumptio ergo terminata est ad naturam humanam, quæ est quid absolutum, & ex terminatione ad absolutum orta, & causata est relatio, quæ dicitur vnio. Ergo vnio non est medium præcedens assumptionem humanæ naturæ, sed est medium consequens. Propter quod inter diuinum suppositum, & humanam naturam assumptam ab ipso, nullum interponitur medium formale, sed effectiuum tantum, cuiusmodi est diuina voluntas, per quam causata est huiusmodi assumptio.

Vnio non est medium præcedens, sed consequens: ideo non requiritur in fieri: sed est in facto esse.

ARTIC. IV.

Vtrum prius fuerit concepta caro, quàm assumpta. Conclusio est negatiua.

Scot. 3. sent. d. 2. q. 3. Lychett. d. 2. q. 3. Ricchar. d. 2. q. 4. Argentina in 3. d. 2. q. 1. art. 4. D. Thom. in 3. d. 2. q. 2. art. 3.



VARTO quæritur de ordine temporis.

Videtur enim, quòd prius fuit concepta caro, quàm assumpta: quia quod non est, non potest assumi; cùm ergo caro habeat esse per conceptionem: ergo prius fuit concepta, quàm assumpta.

Præterea. Motus semper præcedit tempore terminum motus: sed conceptio carnis terminata est ad assumptionem, vel vnionem, sicut motus ad terminum: ergo &c.

Præterea. Videtur, quòd caro prius fuerit assumpta, quàm animata; quia, quod remanet in resolutione, videtur esse primum in compositione: sed caro remansit vnita Verbo, post separationem animæ ab illa: ergo &c.

Præterea. Semper forma præsupponit propriam materiam; cùm ergo caro sit Aegid. super iij. Sent.

propria materia animæ rationalis, videtur, quòd conceptio carnis præsupponebatur; vel requirebatur ad infusionem animæ: ergo &c.

Præterea. Videtur, quòd anima prius fuerit assumpta, quàm corpori coniuncta: nam, vt supra dicebatur, caro fuit assumpta mediante anima: sed extremum prius coniungitur medio, quàm alteri extremo: ergo &c.

Præterea. In supposito Verbi sunt tres substantiæ, Deitas, tanquàm substantia suprema, anima tanquàm media, caro tanquàm infirma; sed Verbum prius fuit coniunctum Deitati, quàm animæ: ergo pari ratione, prius animæ, quàm corpori.

IN CONTRARIUM est, quia ex illa vnione facta est communicatio idiomatum: sed communicatio idiomatum respicit ipsum hominem, vel respicit totam humanam naturam, per quam homo est homo, ergo prius facta est vnio ad ipsum totum.

Præterea. Anima non fuit prius assumpta, quàm creata: sed secundum August. in lib. de dogmatibus: *Anima infundendo creatur, & creando infunditur*: ergo non prius creatur, quàm infundatur: si ergo anima fuit assumpta, fuit vt infusa, & vt coniuncta carni: ergo ad totam naturam humanam simul, & in instanti eodem facta est vnio.

R E S O L V T I O.

Caro Christi in eodem instanti temporis fuit concepta, organizata, animata, & assumpta: licet secundum naturam possit assignari prius, & posterius.

RESPONDEO: dicendum, quòd in alijs hominibus ista octo se habent per ordinem, quia cùm concipitur puer, vt August. tractat in lib. 83. quæst. & nos in pluribus locis meminimus dixisse, primò per sex dies, vt lac. secundò, per 9. dies est vt sanguis: tertio, per 12. dies coagulatur, & fit quasi caro: quarto per 18. organizatur, & formantur membra, quæ omnia simul sumpta faciunt 45. dies. In quadragesimo & quinto die vult Augustinus, quòd infundatur anima: sed ipse accepit maius tempus, quod apponitur in talibus:

H 2 Nam

D. P. Aug. tom. 4. Aegid. toto lib. de formatione corporis humani.

Opinio Me-
dicorum de
infusione a-
nimæ in cor-
pus i masculi
& femine.

Nam nõ oportet, quod semper apponan-
tur 6. dies in lacte, nec 9. in sanguine, & sic
de alijs. Volunt autem communiter Me-
dici, quod in quadragesima die, vt plu-
rimùm, sit infusio animæ in masculo, quia
in foemina plus apponitur de tempore.
Hoc ergo quintum est considerandum in
formatione tali, scilicet infusio animæ.
Sextò est ibi constitutio humanæ naturæ,
quia ex coniunctione animæ, & carnis
constituitur humana natura. Septimò in
homine puro constituta humana natura
ex ea constituitur humana persona. Octa-
uò humana natura sustentatur in huius-
modi persona: natura enim constituit per-
sonam, & sustentatur in persona consti-
tuta. Siquidem suppositum, vel persona
est id, quod habet per se esse, & ideo vo-
catum est suppositum, quia omnibus alijs
supponitur, & omnia alia sunt in
ipso.

Hæc autem octo, quæ narrantur, sic
se habent, quòd duo ex eis non manent
in homine iam perfecto. Nam si foetus
primò est lac, illud lac non manet, sed
conuertitur in sanguinem: nec etiam ille
sanguis manet, sed coagulatur in car-
nem: non ergo manet sanguis sine carne,
sed ex huiusmodi sanguine concipitur
caro, cum sanguine. Alia autem sex vi-
delicet carnis conceptio, membrorum
organizatio, animæ rationalis infusio,
constitutio humanæ naturæ, & ex natura
constituta, constitutio personæ, & sub-
sistentatio naturæ in persona, manent etiam
homine iam perfecto.

Si autem octo ista narrata volumus re-
ferre ad Christum, dicimus, quòd prima
duo non fuerunt ibi. Fuit enim forma-
tum corpus Christi ex sanguinibus Vir-
ginis in vno, & eodem instanti. corpus
ergo Christi non prius fuit lac, & postea
sanguis, & deinde caro, sed in illo instan-
ti, in quo dixit Beata Virgo: *Ecce Ancil-
la*, &c. fuit Verbum in vtero, Verbum
caro, & ibi caro stat pro toto homine,
ita quòd fuit in vtero Verbum homo.
Quod prophetatum est Ieremiæ 31. *No-
uum faciet Dominus super terram, mu-
lier circumdabit virum*. Beata ergo Vir-
go non prius circumdavit lac, & postea
sanguinem, & deinde carnem sine ani-
ma rationali, sed simul & in eodem in-

Ierem. c. 31

A stanti circumdavit Verbum virum, idest
Verbum hominem. Fuerunt ergo sex in
conceptione Christi in vno, & eodem in-
stanti, videlicet carnis conceptio, mem-
brorum organizatio, animæ rationalis in-
fusio, naturæ humanæ constitutio, sed
non fuit ibi quintum, constitutio perso-
næ, quia illa natura humana non consti-
tuebat personam, sed loco constitutionis
personæ, fuit naturæ humanæ assumptio
ad diuinam Personam. Sextum etiam fuit
ibi, sicut in alijs hominibus, scilicet,
sustentatio naturæ humanæ in suppo-
sito.

B Cùm ergo quæritur de ordine tempo-
ris quantum ad naturam assumptam
Verbo, omnia sex, quæ dicta sunt, fue-
runt ibi simul tempore, & in eodem in-
stanti. Tamen ordine naturæ possumus
saluare ibi prius, & posterius. Nam na-
tura, idest naturali intelligentia prius in-
telligimus carnem conceptam, & ha-
bentem esse per conceptionem, & postea
intelligimus eam organizatam, quia
quod non est, organizari non potest, &
postea eam intelligimus animatam ani-
ma rationali, quia ante organizationem
non infunditur anima. Et deinde intelli-
gimus partes simul iunctas, constituere
naturam totam, a Verbo assumptam, &
in persona Verbi sustentatam: nec pro-
pter hoc contradicimus veritati I. de
Trinitate, videlicet, quòd *In huiusmodi
assumptione, & totum precedit partes in-
tentione assumptis, & perfectione assum-
pti, & partes precedunt totum origine, &
constitutione*. Nam cum partes consti-
tuunt totum, & totum accipiat esse, ex
constitutione partium, & quia totum an-
tequam sit, non potest assumi, oportet,
quòd origine, & constitutione, etiam in
huiusmodi assumptione partes precedant
totum, non tempore, sed naturali intel-
ligentia.

D Quod autem omnia, quæ dicta sunt,
fuerint simul tempore, possumus sex vij s
ostendere, vt prima via sumatur ex par-
te ipsius carnis conceptæ. Secunda ex
parte animæ, vt est medium secundum
congruitatem. Tertia ex parte eiusdem
animæ, vt est medium secundum aptitu-
dinem. Quarta ex parte totius, vt præce-
dit partes intentione assumptis. Quinta

In conce-
ptione co-
poris Chr-
sti omnia
fuerunt f-
ca in eod-
instanti u-
poris.

D. P. Aug
tom. 3.

Sex vijs i
stedit pri-
fatam ver-
tatem.

ex parte totius, ut præcedit partes ex perfectione assumpti. Sexta ex parte personæ assumptis, quæ est infinita, & infinitæ virtutis.

Prima via sic patet: nam si caro fuisset prius concepta, quàm assumpta, loquendo de prioritate temporis, fecisset pro illo tempore suum suppositum; non ergo potuisset postea assumi, sine corruptione dicti suppositi; est autem incongruum, in tanta assumptione esse corruptionem aliquam.

Secunda via sic patet. nam Christus assumpsit sic carnem mediante anima, quia, ut supra dicebatur, anima ibi fuit medium congruitatis, & quia ibi seruari debet omnis congruitas, ideo Christus, siue Verbum assumpsit carnem animatam; & quia anima non potest esse sine organizatione, nec organizatio, sine carnis conceptione, oportuit hæc omnia esse simul tempore, videlicet carnis conceptionem, organizationem, animationem, & carnis sic conceptæ, organizatæ, animatæ, à Verbo assumptionem.

Tertia via sumi potest ex parte ipsius animæ, ut est medium secundum aptitudinem, quod medium etiam in morte remansit, quia aptitudo ista dicit ordinem partium: caro enim, licet in morte fuerit actu separata ab anima, adhuc remanebat in ea aptitudo, & ordo ad animam; cum ergo talis aptitudo semper includat actum, nisi per mortem tollatur huiusmodi actus, quia incongruum fuisset Christum nasci mortuum, cum in huiusmodi assumptione anima fuerit medium secundum aptitudinem, possumus ex hoc arguere, omnia illa in huiusmodi assumptione fuisse simul.

Quarta via sumi potest ex parte ipsius totius, ut præcedit partes in intentione assumptis. Nam Dei Filius intendebat assumere naturam totam; si autem intendebat assumere partes, hoc erat propter totum. Assumpsit ergo totam naturam simul, & hoc modo, mediante toto assumpsit partes.

Quinta via sumitur ex parte ipsius totius, ut præcedit partes perfectione assumpti. Nam sic Dei Filius factus est homo, quod fuit perfectus Deus, & perfectus homo, id autem non fuisset, nisi si-

Aegid. super iij. Sent.

A mul tempore totum assumpsisset.

Sexta via sumitur ex parte personæ assumptis, quæ est infinita, & virtutis infinitæ: nam per Philos. secundum quod multiplicatur virtus, minuitur tempus, ut sit tanta virtus, in tanto tempore. Dupla virtus in medio temporis: ergo infinita virtus in non tempore: ergo si natura facit, quod factus sit homo in 46. diebus illis, vel etiam in minori tempore, Dei Filius, qui est Dei virtus, & Dei sapientia, cum sit persona infinita, & virtus infinita, fecit se hominem in vtero Virginis in non tempore, idest in instanti. Totam enim Trinitas induit Filium carne, & fecit ipsum hominem, & ipsemet Filius induit seipsum carne, & fecit seipsum hominem, modo, quo dictum est, scilicet in instanti, & non in tempore.

⁸ Phyl. tex. 86.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod quamvis quod non est, non possit assumi, possibile tamen est, quod in illo eodem instanti, in quo habet esse, assumatur, sic enim fuit de carne Christi, quod simul fuit concepta, organizata, animata, & assumpta.

Quod non est non potest assumi; sed in eodem instanti, in quo habet esse, potest assumi.

Ad secundum dicendum, quod in illa assumptione carnis non fuit motus, nec proprie mutatio, quæ est terminus motus, quia simul fuit ibi fieri, & factum esse, simul enim fuit, illam carnem concipi, organizari, animari, & assumi; & hæc omnia facta esse.

In assumptione carnis non fuit proprie motus, quia simul fuit ibi simul fieri, & factum esse.

Ad tertium dicendum, quod caro illa separata ab anima in morte adhuc habebat ordinem ad animam, & ad totum, & hic ordo inerat ei, ex eo, quod fuerat assumpta, cum anima, & cum toto.

Caro Christi in separatione ab anima habuit ordinem ad ipsam animam.

Ad quartum dicendum, quod semper forma præsupponit materiam propriam, sed non oportet, quod hoc sit ordine temporis, sed sufficit, quod hoc sit ordine nature, & potissimè, quando sit virtute diuina, ubi tota ratio facti est potentia facientis.

Præsupponere dupliciter: tempore, vel natura: & secundo modo sufficit.

Ad quintum dicendum, quod non oportet, quod prius tempore coniungatur extremum medio, quàm extremo, quia si sensibile positum super sensum,

Distingue ut in resp. ad quartum.

In carne Christi separata ab anima remansit aptitudo & ordo ad eandem animam.

non facit sensationem, sed oportet esse medium inter sensibile, quod est vnum, extremum, & sensum, quod est alterum extremum, color tamen, qui est quid sensibile, quia est quid visibile, non oportet, quod prius tempore se multiplicet in aere, quod est medium, quam recipiatur in visu, quod est alterum extremum, sed simul tempore color se multiplicat in aere, & recipitur in visu: ergo &c.

Similiter
distingueve
in resp. ad
quartum.

Ad sextum dicendum, quod Verbum prius fuit vnitum naturæ diuinæ, quam naturæ humanæ, tamen toti naturæ humanæ, & partibus naturæ humanæ fuit vnitum simul tempore; si autem fuit Verbum vnitum prius toto, quam partibus, vel è conuersò, aut prius carni, quam animæ, vel è conuersò, hoc non fuit tempore, sed modis, quibus dictum est.

Dub. I. Litteralis.



UPER litteram: primò quæritur super illo verbo: *Quod autem humana natura*, &c. vbi videtur velle, quod nomine naturæ intel-

ligitur anima, & caro.

Sed contra. Quia si hoc esset tunc humana natura, esset vtrunque, scilicet anima & caro.

DICENDVM, quod humana natura est anima, & caro, non vt sunt diuisa, sed vt sunt conjuncta, & vt faciunt totum. Nam nomine humanæ naturæ intelligitur illud totum, quod resultat ex anima, & carne.

Esse vtriq;
dupliciter,
vel diuisim,
vel coniu-
ctim.

Dub. II. Litteralis.



ALTERIVS fortè dubitaret aliquis de eo, quod in littera dicitur (*errant qui nomine humanitatis, non substantiam, sed proprietatem* quandam, à qua homo nominatur, significari contendunt) quomodo hoc sit intelligendum.

DICENDVM, quod fortè id, quod

A alt hic Magister, innititur verbis Damasceni lib. 3. cap. 2. vbi ait, quod *natura nuda contemplatione cogitatur secundum seipsam, vt non subsistit, sed vt communiter est in omnibus hypostasibus eiusdem speciei.* Et subdit Damascenus: *Deus ergo Verbum incarnatus, nequè eam, qua nuda contemplatione consideratur, naturam assumpsit*, & subdit causam: *ne incarnatio hæc esset deceptio, & fictio incarnationis*; quod ergo dicitur à Magistro, quod nõ secundum proprietatem vocabuli &c. potest referri ad dictum Damasceni, quia secundum proprietatem vocabuli etiam nuda natura potest significari, quam nudam naturam Dei Filius non assumpsit.

Damasceni
lib. 3. cap. 2.

Dub. III. Litteralis.



ALTERIVS fortè dubitaret aliquis, quomodo nuda natura dicitur sumi secundum proprietatem, vocabuli.

DICENDVM, quod Boetius lib. de duabus naturis, dans differentiam inter naturam, & personam ait, quod natura est cuiuslibet substantiæ, & cuiuslibet personæ specifica proprietas. Natura ergo secundum se potest dici quædam proprietas, quia non habet per se subsistere, loquendo de natura creata, quæ non est suum esse, sed semper subsistit in alio, scilicet, vel in supposito, vel in persona; sed ista proprietas est specifica, quia suppositum, vel persona fortitur speciem ex sua natura.

Boet. in lit
de duabu
nat. & vn
persona
Christi.

Quomodo
natura dic
potest pro
prietas.

D Quod ergo Damascenus appellat naturam nudam, propter quam competit alicui esse in specie, Boetius appellat proprietatem specificam. Verbum ergo Dei Filius non assumpsit naturam, sed proprietatem specificam, vel non assumpsit naturam nudam, idest in vniuersali, sed assumpsit eam indutam suis conditionibus indiuiduantibus, videlicet vt est hic & nunc. Et ista plenè est intentio Damasceni, quam allegat Magister in littera. Nam cum Damascenus prius dixisset, quod Verbum non assumpsit naturam nudam, postea subdit, quod assumpsit naturam humanam in atomo, idest sub esse indi-

Verbum al
sumpsit na
tura non in
vniuersali
sed in indi
uiduo, vtes
hic, & nunc

indiuiduali. Appellat ergò naturam nudam, naturam expoliatam à conditionibus indiuidualibus, & appellat naturam in atomo naturam indutam talibus conditionibus.

Dub. I V. Litteralis.



L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de causa, quam assignat Damascenus, licèt hoc non sit in littera. Quòd si Verbum assumpsisset naturam humanam, hoc non esset incarnatio, sed deceptio, & fictio incarnationis, quomodo hoc habeat veritatem.

DICENDVM, quòd secundum Philosophum in 1. Metaph. *Medicus non medicat hominem, sed Sortem, & Platonem, quibus accidit esse hominem;* verum est tamen, quòd multæ translationes sunt in metaphysica: Translatio tamen Boetij habet hunc textum; sed translatio communis habet sic, & in idem redit, videlicet, *Non enim hominem medicans sanat, nisi secundum accidens, aut Calliam, aut Sortem, aut aliquem sic dictorum, cui esse hominem accidit.* Homo enim in communi nec agit, nec patitur, nec medicat, nec medicatur, sed in particulari, vt Callias, vel Socrates medicat, vel medicatur, cui Calliæ, vel Socrati accidit esse hominem, idest extraneum est à Callia, vel a Socrate, vt sit homo, in quantum curat, vel curatur, vel in quantum agit, vel patitur. Fallacia enim accidentis, vt diximus in

Arist. 1. Metaphys. in prohem.

Translatio Boetij.

Translatio communis.

Libellus Agidij contra fantasticas positiones Petri Ioannis Ord. Minoru editus fuit ad petitione præfati Ord.

quodam libello, quem nuper edidimus contra fantasticas positiones Petri Ioannis olim Ordinis Minorum, quem ipse Ordo Minorum nunc persequitur, & bene, tanquam inducentem nouas opiniones, non sapientes doctrinam sanam. Ad petitionem ergo præfati Ordinis composuimus Tractatum illum, vbi declarauimus, quòd fallacia accidentis idem est, quòd fallacia extraneitatis. Nam, committitur talis fallacia, ex eo, quòd aliquid stat sub aliquo attributo, ratione cuius alia sibi accidunt, idest sunt extranea ab ipso. Ex eo enim, quòd Callias, vel Socrates stat sub hoc attributo,

quòd medicat, vel medicatur accidit sibi, idest extraneum est ab eo, quòd sit homo, quia homo in communi non agit, nec patitur, nec medicat, nec medicatur, sed homo in atomo, vel homo sub esse indiuiduali, vt Socrates, vel Callias medicat, vel medicatur.

Vel possumus dicere, quòd accidit Socrati, vel extraneum est ab eo, in quantum medicat, quòd sit homo, quia non sanatur, vel medicatur, vt homo, sed vt infirmus. Si autem volumus hæc adaptare ad Verbum Dei Filium, dicemus, quòd Dei Filius non accepit naturam nudam, idest, expoliatam à conditionibus indiuidualibus, sed assumpsit eam in atomo, idest esse indiuiduali; quia si assumpsisset eam nudam, non fuisset incarnatio, sed incarnationis fictio, & deceptio; quia hoc posito nec egisset, nec passus fuisset, nec nos docuisset, quòd est quoddam agere: nec fuisset pro nobis passus, nec mortuus, quòd est quoddam pati. Ficta ergo, vel deceptiua fuisset talis incarnatio, quia per eam non fuisset decepti, non redempti.

Dub. V. Litteralis



L T E R I V S fortè dubitaret aliquis de eo, quòd in littera dicitur, (quòd idem Ioan. Damascen.) vbi pariter inducit verba Ioannis Damasceni, dicentis. *In Christo Iesu non est communem speciem accipere.*

DICENDVM, quòd Magister inducit verba Ioannis Damasceni, ad hanc intentionem, quòd nomine humanæ naturæ, quam assumpsit Christus, non intelligitur proprietas vocabuli, quia hoc modo natura humana in Christo Iesu non est communem speciem accipere, quia Christus assumendo naturam humanam, non assumpsit eam in communi, sed in atomo, non accepit eam secundum communem speciem, sed secundum esse indiuiduali: Sed licèt verba Damasceni dicta lib. 3. cap. 2. possent ad hanc intentionem adaptari, verba tamen eius, quòd *in Christo Iesu non est communem speciem accipere.* non hoc intendunt: sed intendit ibi

Damascen. lib. 3. c. 11.

Dama-

Ex diuina,
& humana
natura non
fuit conflata
aliqua
natura ter-
tia, quæ sit
communis
species. &
ita intelli-
gitur Dama-
scen.

D. Athan.
in Symb.

Damascenus, quòd licèt Christus fuerit A
verus homo, tamen non fuit purus homo,
sed Deus, & homo: etiam vt fuit Deus, &
homo, non est ibi communem speciem
accipere, quia ex humanitate, & Deita-
te non fuit conflata aliqua natura, com-
munis, & tertia, quia hoc non posset esse
sine aliquali confusione substantiarum, &
naturarum, sicut ex anima, & corpore
conflatur vna natura communis, & ter-
tia, quæ dicitur humanitas, & sicut con-
flatur ex materia, & forma; nam Deitas
non fuit ibi, vt forma humanitatis, vt re-
sultaret ibi aliqua natura communis ex
Deitate, & humanitate, quia tunc Dei-
tas haberet dependentiam ad aliquam
aliam naturam, sicut forma habet depen-
dentiam ad suam materiam, quia hoc non
posset poni, quòd natura diuina haberet
dependentiam ad aliquam aliam natu-
ram, sine confusione diuinæ naturæ, vel
diuinæ substantiæ, & ideo cum in Symbo-
lo dicitur, quòd *vnus est Christus*, statim
additur: *Vnus autem non confusione sub-
stantiæ, sed vnitatem personæ.*

Dub. VI. Litteralis.



ALTERIVS fortè dubi-
taret aliquis de eo,
quod in littera dicitur
(*nec enim factus est,
nec est, nec aliquando
fiet alius.*)


Sed contra, quia de
multis posset hoc dici, non de solo Chri-
sto, etenim nec factus est, nec est, nec fiet
alius Sol, nec alia Luna.

D. Damasc. DICENDVM, quòd verba ista, quan-
tum ad sententiam, sumpta sunt à Dama-
sceno lib. 3. cap. 3. vbi, cum dixit: *In Do-
mino autem vestro Iesu Christo non est com-
munem speciem accipere*, statim subdit:
*nec enim generatus est, nec vnquam gene-
rabitur alius Christus ex Deitate, & hu-
manitate, Deus perfectus idem, & homo
perfectus.* Et addit, quòd *hinc non est di-
cere vnã naturam in Domino Iesu Chri-
sto.* Propter quod patet, quòd non est si-
mile de Sole, & Luna, quia cum Sol, &
Luna sit forma in materia, & talis forma
de se sit multiplicabilis, ratione materiæ,
quantum est de se, possunt esse plures, si

Quomodo
Sol & Luna
possunt plu-
rificari. &
cur nõ plu-
rificantur.

autem non possunt esse plures Soles, hoc
non est, quia sit forma in materia, quia
hoc modo est multiplicabilis, sed hoc
est, qui constat ex tota sua materia. Nam
si nasus secundum Philosophum consta-
ret ex tota materia sua, non esset nisi
vnus nasus in specie nasi. Omne ergo il-
lud, quod est forma in materia, & ex ta-
li forma, & tali materia resultat vna ali-
qua communis natura, vel communis spe-
cies, quantum est de se, est multiplica-
bile; si autem non multiplicatur, hoc est,
quia constat ex tota materia sua. Aliter
ergo Sol existens in pluribus substantijs,
idest in materia, & forma, non est mul-
tiplicabilis, & aliter Christus existens in
pluribus substantijs, vel in pluribus na-
turis in Deitate, & humanitate, non est
multiplicabilis: non enim est factus, nec
est, nec fiet alius Sol, non quia in Sole
non sit communem speciem accipere, &
quod ex duabus substantijs, vel naturis
Solis, materia, & forma, non constituatur
vna communis species: sed hoc est, quia
Sol constat ex tota materia sua. Sed
quòd Christus non est generatus, secun-
dum communem speciem, nec est, nec ge-
nerabitur alius Christus; hoc est ex alia
causa, videlicet, quia ex duabus substan-
tijs, vel duabus naturis, in quibus existit
Christus, non constituitur aliqua com-
munis species, vel aliqua vna commu-
nis natura, quia tunc Christus, quantum
est de se, esset multiplicabilis, & posset
esse multi Christi. Hoc est ergo quod Da-
mascen. ait. *nec enim generatus est, nec
vnquam generabitur alius Christus ex
Deitate, & humanitate.* Et subdit, quòd
hinc, idest quia Christus non est multi-
plicabilis, *quia non est dicere in eo vnã
naturam, idest vnã speciem communem,*
supplè conflata ex Deitate, & humani-
tate. Adducit ergo Magister verba
Damasceni; sed non omni-
no secundum intentio-
nem eius-
dem,

Cur plures
Christi esse
nõ possint.



Dub. VII. Litteralis.



VLTERIVS fortè dubitaret aliquis de eo, quòd in littera dicitur (*omnia quæ in humana natura plantauerat, assumpsit Dei Verbum*) quomodo hoc sit intelligendum.

DICENDVM, quòd hoc intelligendum est (vt communiter dicitur, & benè) de ijs, quæ sunt de ratione humanæ naturæ: sicut principia essentialia, vel proprietates, quæ consequuntur huiusmodi principia, propter quod si obijciatur de immortalitate, quam plantauit Deus in Adam, patet, quòd non plantauit eam tanquam principium essentialia humanæ naturæ, vel tanquam proprietatem consequentem.

Dub. VIII. Litteralis.



VLTERIVS fortè dubitaret aliquis de eo, quòd in littera dicitur (*in quem errorem*) vbi Magister vult quòd aliqui negauerunt Christum fuisse incarnatum, quia timebant, ne ex hoc cogerentur concedere, quòd veritas, & substantia Dei, humana carne inquinaretur. Ad quod repellendum ait, quòd Sol iste visibilis spargit suos radios per omnes fæces, vt tamen illos radios mundos, & sinceros seruet. Ex quibus vult inferre, quod si hoc videmus in Sole visibili, sine inquisitione, multò magis hoc debemus argumentari in Dei Filio, qui est Sol inuisibilis, & est super hunc Solem visibilem, quomodo hæc intelligenda sunt.

DICENDVM, quòd quæ communicant in actione, & passione, communicant in materia, vt est subiecta generationi. Propter quod secundum Philof. lib. I. de Generatione: *Cælum tangit hæc inferiora, & non tangitur ab eis, agit in ea, & non patitur ab ipsis, quia licet cælum conueniat cum ipsis inferioribus in materia secundum essentiam, non tamen conuenit cum eis in materia, vt est subie-*

Sol materialis radios suos emittit super omnes fæces, tamè non inquinatur; multò minus Dei Verbum in incarnatione.

Ar. I. de generatione.

A *Est generationi, & corruptioni:* Ideo licèt agat in hæc inferiora, non contrà patitur ab ipsis. Et quia Deus, qui nullo modo est materialis, sic agit in omnia, quòd non contrà patitur ab ipsis; si Sol, qui est naturæ cœlestis, agit in hæc inferiora, mittendo radios suos, & illuminando ea, & non contrà patitur, nec coinquinatur ab eis; multò magis Dei Filius, qui est omninò immaterialis, potest assumere naturam humanam, carnem scilicet & animam, quæ sunt longè inferiora eo, respectu cuius non solum caro, sed etiam anima debet dici quid materiale, quia quælibet creatura, & si non est composita ex materia, & forma, est tamen composita ex potentia, & actu, vbi potentia, & si non dicat materiam, dicit tamen aliquid materiale: propter quod & Intelligentia secundum Authorem de causis, dicitur habere suum Heliachim, idest suum materiale: Deus ergo, idest Dei Filius, ex assumptione animæ, & carnis non coinquinatur, quia non habet materiam, nec aliquid materiale, nec potentiale, sicut habet caro, & anima, sed est actus purus, cui non admiscetur aliquid de potentia, cum sit verus Deus.

Author de causis.

DISTINCTIO III.

De qualitatibus naturæ assumptæ.



VAERITVR etiam de carne &c. Postquam Magister determinauit de natura assumpta à Verbo, quantum ad quidditatem, ostendendo, quid assumpsit, quia assumpsit carnem mediante anima, in hac tertia distinctione determinat de huiusmodi natura assumpta, quantum ad qualitatem, ostendens qualem naturam assumpsit, quia assumpsit naturam sanctam, non subditam alicui peccato, subditam tamen poenalitati, non necessitate, sed voluntate, quia voluntate assumpsit carnem passibilem, poenalitati subiectam.

Circa

Circa quod tria facit. Quia primò mouet quæstionem, qualem naturam assumpsit; Secundò quæstionem motam soluit. Tertio, quia determinauerat de sanctitate Christi, determinat de sanctitate Matris eius. Secunda ibi (*Sanè dici potest*). Tertia ibi (*Mariam quoque*).

Circa quod duo facit, quia primò determinat de sanctitate Matris Christi, antè conceptionem Christi, quia fuit sancta, antequam Christum conciperet. Secundò ex ijs, quæ dixerat, infert quandam conclusionem. Tertio determinat de sanctitate dictæ Matris post conceptionem Christi. secunda, ibi. (*Ex ijs, perspicuum fit.*) Tertia ibi (*Quod autem sacra Virgo.* &c.

Tunc sequitur illa pars (cum autem illa caro) in qua circa ea, quæ dixerat, idest circa propagationem carnis Christi, mouet qua Idam quæstiones. Circa quod duo facit, secundum quod duas quæstiones mouet, Quia primò quærit de huiusmodi propagatione, quantum ad antiquos parentes, quomodo fuit propagata caro Christi ex Abraham, & ex Adam. Secundò mouet quæstionem de huiusmodi propagatione, quantum ad Matrem eius, ibi: (*Illi autem sententia*).


Circa primum tria facit, quia primò mouet præfatam quæstionem. Secundò soluit eam. Tertio ex ijs, quæ dixerat, elicit conclusionem quandam; quòd Christus assumpsit primitias nostræ massæ; Secunda ibi (*Quia ibi determinatiuè*.) Tertia ibi (*Quo circa primitias nostræ massæ*).

Tunc sequitur illa pars (*Illi autem sententia*.) In qua mouet quæstionem de propagatione carnis Christi, quantum ad suam Matrem. Circa quod duo facit, quia primò mouet huiusmodi quæstionem. Secundò soluit ipsam: ibi (*Sed illa ratio illius dicti*.) Et in hoc terminatur sententia præsentis lectionis, & distinctionis.



A

QVAESTIO PRIMA.



CIRCA hanc distinctionem, quærentur quatuor principaliter, quia primò quæritur de sanctificatione Matris Christi.

Secundò de conceptione ipsius Christi. Tertio de Annunciatione facta Virgini de Christo. Quarto de propagatione carnis Christi. Circa primum, idest circa sanctitatem Matris Christi, quærentur tria.

Primò. Vtrum caro Virginis fuerit sanctificata, antequam animata.

Secundò. Vtrum fuerit sanctificata in utero, antequam nata ex utero.

Tertio. Vtrum Beata Virgo per primam sanctificationem fuerit omnino à peccato immunis.

Quarto. Vtrum fuerit specialiter sanctificata, quando fuit ab Angelo annunciata.

ARTIC. I.

Vtrum caro Virginis fuerit sanctificata, antequam animata. Conclusio est negatiua.

D. Thom. 3. p. q. 27. art. 2. Caiet. Medina. ibidem. D. Bonau. in 3. d. 3. art. 1. Suar. in 3. p. tom. 2. disp. 3. sc. 3.



D primum sic proceditur, videtur, quod caro Virginis fuerit sanctificata, antequam animata. Quia (vt ait Apost. ad Rom. I I. *si radix sancta, &*

rami. sed radix Beatæ Virginis, idest parentes eius erant sancti, ergo B. Virgo, quæ fuit ramus procedens ex tali radice, etiam in ipsa conceptione fuit sancta, & non fuit concepta in aliquo peccato.

Præterea. cum malum sit priuatio, & priuatio de se fit non ens, malum non potest

Roma. 6. 21.

D. Dionys.
4. de diuin.
nominib.

test agere, nisi ratione subiecti, vel ratione boni, in quo fundatur, ut vult Dionys. 4. de Diuinis nominibus. Efficacius est ergo bonum, quam malum. Si ergo malum, vel peccatum primi parentis potest nos inficere, multò magis sanctitas proximorum parentum potest nos sanctificare, ergo B. Virgo fuit nata sancta, quia nata fuit ex proximis parentibus sanctis &c.

Præterea. Illud, quod est meritorium gratiæ, non repugnat sanctificationi; sed actus matrimonialis potest esse meritorius gratiæ: ergo &c.

Præterea. Aliquæ Ecclesiæ celebrant festum Conceptionis, sed non debet celebrari, nisi illud, quod est sanctum: ergo Beata Virgo fuit sanctificata, antequam nata.

IN CONTRARIUM est, quia illud, quod non est, non potest sanctificari, sed Beata Virgo ante sui conceptionem non erat, ergo non poterat sanctificari.

Dub. I. Lateralis.



LETIVS fortè dubitaret aliquis. Vtrum per ea, quæ dicuntur de Ioanne Baptista, possimus excipere B. Virginem à peccato originali.

Et videtur, quòd sic, quia asserunt scripta communia, quòd Ambrosius ait de Ioanne Baptista, quòd nondum illi inerat spiritus vitæ, & iam inerat spiritus gratiæ, sed embryoni inest vita, & à principio suæ conceptionis, quia ab ipso principio incipit viuere vita plantæ, & postea vita animalis, & vltimò hominis, secundum Philosophum in lib. de animal. sed quòd concessum fuit Ioanni Baptista, nulli dubium esse debet, per amplius, & perfectius fuisse in Virgine. In ipsa ergo conceptione Virginis, fuit in ea spiritus gratiæ, & fuit sine originali peccato.

IN CONTRARIUM est, quod habetur 1. Corinth. cap. 15. vbi dici-

Arist. lib. de
Animal.

atur, quòd per hominem mors, & per hominem resurrectio mortuorum, & sicut in Adam omnes moriuntur, &c. ipsa ergo Beata Virgo fuit in Adam mortua, & fuit per Adam in originali concepta, & per Christum fuit viuificata. idest fuit ab originali iustificata.

1. Cor. c. 15

Dub. II. Lateralis.



LETIVS fortè dubitaret aliquis. Vtrum per ea, quæ dicuntur de Ieremia possimus excipere Virginem ab originali.

Et videtur, quòd sic, quia dicitur Ieremiæ c. 1. Priusquam te formarem in utero noui te, sed puer incipit formari etiam in ipsa sua conceptione, ergo Ieremias in principio suæ conceptionis fuit notus à Deo; sed non est hoc intelligendum de simplici notitia, intelligitur ergo de notitia approbationis, quæ non contingit esse sine gratia: sed quòd concessum est Ieremiæ, per amplius, & perfectius fuit in Beata Virgine, ergo antequam formaretur in utero, & antequam conciperetur, fuit nota à Domino notitia approbationis, & fuit in ea spiritus gratiæ.

IN CONTRARIUM est, quia quòd non est concessum, nisi capiti, non potest competere alicui membrorum, sed solus Christus inuentus est inter mortuos liber, & solus ipse fuit sine omni peccato, etiam sine originali, ergo &c.

Dub. III. Lateralis.



LETIVS fortè dubitaret aliquis. Vtrum per ea, quæ dicuntur de statu innocentiae, possimus saluare Virginem ab originali peccato.

Et videtur, quòd sic. Quia in statu innocentiae non solum fuissent concepti filij sine originali peccato, sed etiam fuissent concepti cum originali iustitia, cuius carentia, cum debito habendi est originale peccatum; sed ut ait Anselm. in lib. de conce-

D. Anselm.
lib. de con-
ceptu Virg.

conceptu virginali, nempè, *decens erat*, A
ut ea puritate, qua maior sub Deo non
potest intelligi, Virgo illa niteret: sed
constat, quòd puritas illa innocentiae, in
qua si stetissent primi parentes, fuissent
concepti filij cum originali iustitia, & si-
ne originali peccato, maior sub Deo in-
telligi non potest: ergo illa puritate vi-
guit Beata Virgo, & fuit concepta cum
originali iustitia, & sine originali pec-
cato.

IN CONTRARIUM est, quia
peccatum originale dicitur peccatum natu-
rae. omnes ergo, qui naturaliter de-
scenderunt ab Adam, sunt concepti cum
originali peccato. Solus ergo Christus,
qui fuit conceptus de Virgine supernatu-
raliter, ex superuentione Spiritus Sancti,
fuit sine originali conceptus. Beata ergo
Virgo Maria, quæ à suis parentibus de-
scendit naturaliter, fuit in originali con-
cepta.

RESOLVTIO I. ART.

Caro B. *Virginis non fuit sanctificata an-*
tequam in utero nasceretur, quia non C
erat in rerum natura; sed postquam fuit
in originali concepta, quia fuit in lumbis
Adæ ex parentibus per concubitus na-
ta, & per Christum Mediatorem li-
berata, statim dicitur fuisse sanctifi-
cata.

Quæstio nō
est de pote-
ria Dei ab-
soluta: sed
de potestate
ordinaria.

Ad Ephes.
cap. 1.

1. Cor. c. 15

RESPONDEO dicendum, quòd
non est quæstio, quid Deus possit facere,
secundum potentiam absolutam, sed quid
decet eum facere secundum potentiam
ordinatam, quia nihil hic de nouo agitur,
quòd non sit à Deo, & in Deum dispositum, & ordinatum, iuxta illud ad Eph. 1. D
Collegit nos in ipso ante mundi constitutio-
nem. Hanc autem dispositionem, & ordi-
nationem reuelauit Sanctis suis Apo-
stolis. Ideo (vt patuit 1. Corinth. c. 15.)
Apostolus nullum excipit, *quando in*
Adam omnes moriuntur: (quod potest
referri ad conceptionem in originali pec-
cato) & *in Christo omnes uiuificantur*,
(quod potest referri ad iustificationem
ab omni peccato) & in hoc tollitur diffi-
cultas quorundam loquentium de iustifi-
catione Virginis, secundum Dei poten-

tiam absolutam. Non enim est dubium,
quòd nostræ iustificationis fuit alius mo-
dus possibilis. Et si volumus loqui de
Beata Virgine, loquendo de Dei potentia
absoluta, potuisset Deus facere, quòd
fuiisset concepta sine originali peccato.
Nostræ tamen sanandæ miserie, nullus
fuit modus congruentior, quàm quod
omnes iustificaremur per Christum Me-
diatorem nostrum, & caput nostrum, vt
potest haberi ab August. 13. de Trinitate
cap. 10. Augustinus etiam 18. de ciuitat. D.P. Aug.
Dei cap. 47. vult, quòd *nulli concessum*
est pertinere ad spiritualem Ierusalem, nisi
cui reuelatus est Christus. Quod est verum,
quantum est de lege communi; sed plu-
res leguntur sanctificari in utero matris.

Tamen hæc propositio est vniuersali-
ter vera, quòd post peccatum primorum
parentum nullus potuit pertinere ad spi-
ritualem Ierusalem, nisi per Mediatorem
Christum, qui est caput, & Mediator
omnium nostrum. Nam quicumque adul-
ti saluantur, hoc est per fidem, quam ha-
bent ipsimet de Christo Mediatore, qui
verò paruuli iustificantur, hoc est, per fi-
dem, quam habent parentes de Christo
Mediatore. Est tamen tanta misericor-
dia Dei, quod licet tantum fuerit dilata
incarnatio Verbi, nullus tamen à princi-
pio mundi vsque in finem saluatus est, vel
saluari potuit, nisi per Christum Media-
torem. Et quia paruulis nocet peccatum
alienum, idest peccatum Adæ protopa-
rentis nostri, voluit Deus, quod paru-
lis possit prodesse fides aliena, idest fi-
des parentum, vt per parentes intelligen-
tur homines adulti, habentes curam de
ipso paruulo, siuè genuerint ipsum, siuè
non, in quorum fidem baptizatus paru-
lus, quantum ad legem nouam, vel alia
remedia adeptus, quantum ad legem
scriptam, vel ad legem naturæ, potest
iustificari paruulus, vt tota salus nostra
referatur ad nostrum caput, & Mediatore-
m, qui est Iesus.

Sed quid de ijs, qui sunt iustificati in
utero matris, sicuti fuerunt Ieremias,
Ioannes Baptista, Beata Virgo, qui an-
tequam nascerentur ex utero, fuerunt
sanctificati, & iustificati in utero.

Dicemus, quod hoc totum fuit per Me-
diatorem, vt Ieremias fuit sic sanctifica-
tus, Ieremias

Omnes sal-
uantur per
fidem Me-
diatoris
Christi.

Quia paru-
lis nocet
peccatum
alienum: ideo
prodest eis
fides aliena

Sanctificati
in utero
per Media-
torē Chri-
stum Iesum.

tus, quia debebat esse Propheta nostri Mediatoris, propter quod multa prophetauit de Christo nostro capite, & nostro Mediatore. Ioanes fuit sanctificatus, quia debebat esse Praecursor ipsius Mediatoris, & ideo dignum fuit, quod repletur Spiritu Sancto, adhuc ex utero matris suae, ut dicitur Luc. 1. B. Virgo fuit sic sanctificata, quia debebat esse mater Mediatoris. Fuit ergo B. Virgo Mater Christi, utroque modo, carne, & mente, concepit ipsum Christum carnaliter in utero, & spiritualiter in mente. Nam habendo fidem de Christo; concepit ipsum per fidem spiritualiter in mente, acquiescendo autem verbis Angeli, cum dixit: *Ecce Ancilla Domini*, &c. concepit Christum carnaliter in utero: tamen, ut ait August. in lib. de Bono Virginali. *Beatior erat Maria fidem Christi percipiendo, quam eius carnem concipiendo. Ad quaestionem ergo propositam, quantum spectat ad Virginem Beatam, dicemus, quod fuit concepta in originali, sicut & aliae mulieres, sed pie credendum est, quod quasi statim, postquam fuit in originali concepta, fuit ab originali mundata, & in utero sanctificata, ut sit similitudo in contrarium de ipsa, & Lucifer; ut sicut Lucifer in veritate fuit, & in veritate non stetit, quia quasi statim auertit se a Deo per culpam; sic B. Virgo in originali fuit, sed in eo non stetit, nam statim fuit sanctificata per gratiam, & quia quando modicum deest secundum Philos. intellectus accipit nihil deesse, pie creditur, quod valde modica fuerit morula inter animae infusionem, vel eius conceptionem, & eius per gratiam sanctificationem, idcirco dici potest, quod semper fuerit sancta. Ut ergo ostendamus B. Virginem fuisse in originali conceptam, dicemus, quod omnes peccauimus in Adam, quia Adam fuit ille, in quo omnes peccauerunt, iuxta illud ad Rom. 5. *In quo omnes peccauerunt*, tamen istud peccatum deinde non peruenit ad nos, nisi mediantibus parentibus proximis, & non tollitur a nobis, nisi per gratiam Christi.*

Tripliciter ergo poterimus probare, Virginem fuisse conceptam in originali peccato; Primo ut refertur ad Adam propterea nostrum. Secundo, ut refertur ad parentes proximis. Tertio, ut refertur ad Christum Mediatorem.

Prima via sic patet, quia ipsa Virgo, un-
Aegid. super iij. Sent.

A de Christus assumptus est, in iniquitatibus concepta est, & in peccatis concepit eam, mater eius, & cum originali peccato nata est, quoniam etiam ipsa in Adam peccauit, in quo omnes peccauerunt, quae omnia sunt verba Anselmi lib. cur Deus homo.

Secunda via ad idem potest sumi, prout praefata Virgo comparatur ad parentes proximis, & ista est via Augustini de fide ad Petrum, c. praelibato, dicentis. *Firmissime tene, & nullatenus dubites, omnem hominem, qui per concubitum viri, & mulieris concipitur, cum originali peccato nasci & impietati subditum.*

B Tertia via ad hoc idem sumitur, prout B. Virgo comparatur ad ipsum Mediatorem, & hanc etiam tangit August. de fide ad Petr. cap. praedicto, ubi ait. *Eramus nos natura filij irae, sicut & ceteri, a qua ira nullus liberatur, nisi per fidem Mediatoris Dei, & hominum, hominis Iesu Christi, qui sine peccato conceptus, sine peccato natus, sine peccato mortuus.* Beata ergo Virgo fuit in ira concepta, in peccato originali nata, & per Mediatorem hominum Christum a peccato originali iustificata, & ab ira liberata.

RESP. AD ARGVM.

Ad primum dicendum, quod si radix est sancta, secundum quod huiusmodi, oportet quod rami sint sancti, quia non potest arbor bona fructus malos facere. Matth. 7. Si ergo arbor non est sancta naturaliter, quia naturaliter procedit proles a parentibus, non oportet, quod proles sit sancta. Ex parentibus enim sanctis personaliter, procedit proles cum originali, infecta naturaliter. Propter quod originale peccatum (ut patet in secundo) dicitur peccatum naturae, si autem est peccatum personae, hoc est ex consequenti. Est autem in nobis ordo contrarius ei, qui fuit in Adā. Nam in Adam persona infecta infecit naturam, in nobis autem est conuerso; natura infecta infecit personam. Parentes vero B. Virginis fuerunt sancti personaliter, quia personae eorum erant sanctae, sed non fuerunt sancti naturaliter, ita ut natura eorum esset sic propagata, quod generarent prolem sine originali peccato, sicut videmus sensibile exemplum, quod gramum purgatum a palea, generat granum cum palea, quia in purgatione illa purgatur granum, ut quoddam suppositum in se, sed non purgatur natura grani, quod non

I faciat

Radix naturaliter sancta producit ramos sanctos sed radix sancta personaliter, non sic.

Originale peccatum est peccatum naturae principaliter, & personae consequentur.

Author in 2. sent.

Parentes B. Virg. fuerunt sancti personaliter, non naturaliter.

Io. Baptista

B. Virgo concipit Christum carne & mente, carnaliter in utero, spiritualiter in mente

B. Virgo beatior quia si dem Christum suscepit, quam quia Christum concepit.

Ad Rom. cap. 5.

D. Anselm. lib. cur Deus homo.

D. P. Aug. de fid. ad Petr.

D. Damasc.

faciat opus naturæ, vt requirit sua natura. Et ideo specialiter de generatione dictum est, quod *generatio est opus naturæ*. Parentes ergo B. Virginis propagati personaliter genuerunt B. Virginem infectam naturaliter, vel infectam infectione naturæ, id est peccato originali, quod est peccatum naturæ. Apostolus tamen inducit præfata verba, quantum ad perfectionem personalem, & quantum ad propagationem personalem. Nam parentes in lege Mosaiica perfecti, & purgati personaliter conuertebant corda filiorum, vt ipsi personaliter essent purgati, & perfecti.

privatio directe non est causa positionis: sed privationis

Quid est peccati originale.

Si Adam stetit, generasset filios cum originali iustitia

Gratia purgat personam, & non naturam.

Ad secundum dicendum, quod privatio directe non agit positivè, & non est propriè causa positionis, potest tamè esse causa privationis. Et quia hoc est peccatum originale, privatio nimirum originalis iustitiæ cum debito habendi eam: patet, quomodo parentes generant filios, sine originali iustitia, id est cum peccato originali. Nam Adam si stetit, generasset filios cum originali iustitia, sed per peccatum perdens originalem iustitiã, quod non habuit, non potuit suis posteris comunicare, ideo genuit eos sine originali iustitia, & ex hoc dictum est generare eos in originali peccato.

Ad tertium dicendum, quod actus matrimonialis in conceptione B. Virginis, potuit esse, & fuit meritorius in ipsis parentibus per gratiam, purgantem eorum personam, non purgantem omninò eorum naturam; ideo quantumcunque ipsi essent purgati personaliter, generatio, quæ est opus naturæ, potuit producere prolem infectam naturaliter, vel infectam infectione naturæ.

Ad quartum patet solutio per iam dicta, in solutione principali.

Resolutio Dub. I. Lateralis.

Io. Baptista dicitur recepisse spiritum gratiæ ante spiritum vitæ, quod intelligitur non de vita sumpta genericè, specificè, & propriè: sed large sumpta pro operibus vitæ, quæ sunt per se respirare, nutrirî, & secundum rationis usum operari. Ex quibus non possumus excipere B. Virginem ab originali peccato.



Id vero quod quærebatur. Vtrum possumus excipere Virgi-

nem à peccato originali, per ea, quæ ait Ambrosius, vt referunt scripta communia, quod nondum inerat illi spiritus vitæ, & iam inerat spiritus gratiæ: vt saluemus dictum D. Ambrosij, distinguemus de ipso viuere, quod potest quadrupliciter accipi: primo generaliter, prout cõtingit aliquid viuere per quamcunque animam vegetabilem, vt viuunt homines; omnibus enim modis viuunt embryo in ventre matris, quia primo viuunt vita plantæ, dum est sicut lac, vel sicut sanguis, viuunt enim tunc vita plantæ, quia nutritur, & augmētatur sicut planta; tamen si pungeretur non sentiret; postea viuunt vita animalis, cum incipit esse caro, & incipiunt ibi apparere nerui, tunc enim incipit viuere per animam sensibilem, & si pungeretur, sentiret, & se retraheret. Vltimò viuunt vita hominis, cum formata sunt omnia eius membra, & infusa est anima rationalis: sic ergo accipiendo communiter viuere, vt & plātē, & animalia viuunt, non possunt verificari verba Ambrosij, quod in Io. Baptista fuerit prius spiritus gratiæ, quàm spiritus vitæ, cum plante, & animalia non possint esse subiectum gratiæ.

Viuere quadrupliciter sumitur.

Hoc enim fuit speciale in Christo solo, quod B. Virgo concipiendo Christum non prius circundauit embryonem viuentem vita plantæ, & postea vita animalis, & vltimò vita hominis, sed in illo instanti, in quo consensit persuasioni Angelicæ, *Ecce ancilla Domini*, &c. circundauit Christum virum, id est, perfectum hominem, & perfectum Deum. Quod prophetatum fuit Ierem. 31. *Ecce nouum creauit Dominus super terram. Fœmina circundabit virum.* Quod verè fuit nouum, quia nunquam fuit, & nunquam erit, *nec similem visa est, nec habere sequentem.*

Conceptio Christi habuit aliquid peculiare, & nouum.

Ierem. c. 31

D. Bernar.

Secundo modo potest accipi viuere specialiter per animam rationalem, prout viuere est non per quamcunque animam, sed specialiter per animam rationalem, verum nec etiam isto modo possunt verificari verba Ambrosij, quod in Io. Baptista prius fuerit spiritus gratiæ, quàm spiritus vitæ secundum animam rationalem, quia semper accidens præsupponit subiectum suum, & non potest esse prius subiecto suo. Gratia ergo quæ est quoddam accidens supernaturale ipsius animæ rationalis, non potest esse antè spiritum vitæ, accipiendo viuere,

vel

vel vitam secundum animam rationalem.

Tertio modo potest accipi viuere proprie, secundum quem modum loquitur Philos. 2. de Anima, quod viuere viuentibus est esse; sed nec isto modo possunt verificari verba Ambrosij, quod Ioannes sanctificatus prius haberet esse gratiae, quam esse animae rationalis.

Arist. 2. de Anima. tex. 37.

Quomodo intelligatur dictum S. Ambrosij de Ioanne Baptista.

Quarto modo potest accipi viuere largè, prout ipsa opera vitae dicuntur quaedam vita, vel quoddam viuere, & hoc modo poterimus saluare dictum Ambrosij, quantum ad duplex opus vitae, vnum est spirare, & respirare. Aliud est per se nutriri. Nam qui spirant, & respirant dicuntur viuere, & etiam qui per se nutriuntur, dicuntur per se viuere. Ioannes ergo Baptista, quia repletus fuit Spiritu Sancto, siue Spiritu gratiae, adhuc ex vtero matris suae (vt dicebatur Lucae 1.) prius in eo fuit spiritus gratiae, quam spiritus vitae, quantum ad hoc opus, quod est spirare, & respirare, quia puer in vtero nec spirat, nec respirat, eo quod habet apertum vmbilicum, per cuius apertionem potest sufficienter infrigidari cor, absque eo, quod spiret, vel respiret. Vel potest hoc verificari quantum ad aliud opus vitae, quod est per se nutriri: nam puer in vtero non nutritur, vt aliquid per se existens, sed vt fructus nutritur in arbore; communiter enim in arboribus hoc videmus, quod quandiu fructus est incompletus, non habet per se esse, sed habet esse coniunctum arbori, & nutritur per succum procedentem à radice arboris, quando autem est completus, cadit ab arbore, & habet per se esse. Sic etiam est in puero, quod quandiu est imperfectus est coniunctus matri, quando autem est perfectus, cadit à matrice, sicut fructus cadit ab arbore, & quadiu est imperfectus, & coniunctus matri, non nutritur per os proprium, sed per os matris, quia ora in animalibus secundum Philos. se habent sicut radices in arboribus. Possumus & tertio hoc idem saluare, quod Ioanni Baptistae non inerat spiritus vitae, quantum ad vsum rationis, & inerat ei spiritus gratiae, quantum ad rationis perfectionem, & complementum, quia gratia non potest esse perfectio, & complementum, nisi mentis rationalis, vel intellectualis, in quo intellectu, vel ratione, potest dici quis non

Puer in vtero neq. spirat, neque respirat, & quare.

Puer in vtero nutritur vt fructus in arbore.

Aegid. super iij Sent.

A viuere, quandiu non habet rationis vsum.

Quibus intellectis patet quomodo possunt saluari verba Ambrosij, quod in Ioanne Baptista nondum erat spiritus vitae, quod spiraret, vel respiraret: vel nondum inerat spiritus vitae, quod per se nutriretur separatus à matre, & inerat ei spiritus gratiae, quia repletus fuit Spiritu Sancto ex vtero matris suae. Vel possumus secundo respondere, quod non erat in eo spiritus vitae rationalis, quia non habebat rationis vsum & inerat ei spiritus gratiae, quia ante rationis vsum, cum adhuc esset in vtero, fuit gratia repletus. Dedimus autem ad praefata verba Ambrosij plures expositiones, quia cui non satisfacit vna, poterit satisfacere altera. Per quae dicta non habetur, quod non fuerit conceptus in originali: quae verba si volumus referre ad Beatam Virginem, dicemus, quod si B. Ioannes fuit repletus Spiritu Sancto, adhuc ex vtero matris suae, Beata Virgo non solum pari modo, sed etiam ampliori modo fuit sanctificata in vtero matris, vt infra patebit, sed ex hoc non habetur, quod Ioannes Baptista, vel Beata Virgo non fuerint concepti in originali. Argumentum autem ad propositum, & ad contrarium, solutum est per iam dicta.

Resolutio Dub. II. Lateralis,

Non possumus excipere Virginem B. ab originali, per ea, quae de Ieremia dicuntur: siue exprimantur mystice de Christo, vt D. Hieron. siue litteraliter de Ieremia, vt glos. interlin. quae exponit de Ieremia, non secundum esse, quod habuit in sua existentia, sed in diuina praescientia.

QUOD autem querebatur vterius: **Q**UOD Vtrum possumus excipere Virginem à peccato originali, per ea, quae dicta sunt de Ieremia, Ieremiae cap. 1. Priusquam te formarem, &c.

Dicendum, quod illa verba Ieremiae possunt intelligi secundum sensum mysticum, & secundum sensum litteralem; secundum mysticum possunt exponi de Salvatore nostro, vt vult Hieron. in Glossa sup. cap. 7. dicens, quod Saluator noster fuit proprie Propheta gentium, & per Apostolos omnes nationes vocauit, qui

I 2 prius,